DE

HISTORIA LAUSIACA

QUÆNAM

SIT HUJUS AD MONACHORUM ÆGYPTIORUM
HISTORIAM SCRIBENDAM UTILITAS

THESIM FACULTATI LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI

PROPONEBAT

E. AMÉLINEAU.

ADJECTA SUNT QUÆDAM HUJUS HISTORIÆ COPTICA
FRAGMENTA INEDITA.

PARISIIS
APUD ERNESTUM LEROUX BIBLIOPOLAM
28 VIA DICTA BONAPARTE 28
MDCCCLXXXVII.

DE

HISTORIA LAUSIACA

QUÆNAM

SIT HUJUS AD MONACHORUM ÆGYPTIORUM
HISTORIAM SCRIBENDAM UTILITAS

THESIM FACULTATI LITTERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI

PROPONEBAT

E. AMÉLINEAU.

ADJECTA SUNT QUÆDAM HUJUS HISTORIÆ COPTICA
FRAGMENTA INEDITA.

PARISIIS

APUD ERNESTUM LEROUX BIBLIOPOLAM

28 VIA DICTA BONAPARTE 28

MDCCCLXXXVII.

Typis descripsit Adolphus Holzhausen, Vindobonæ.

VIRO DOCTISSIMO

GASTON MASPERO

HANC DISSERTATIONEM

BENEFICII MEMOR DISCIPULUS MAGISTRO

D. D. D.

DE HISTORIA LAUSIACA.

Res inter mirandas quæ ex religionis sensu per mundum in lucem prodiere, nulla quidem mihi rectius miranda videtur quam eorum hominum agendi ratio qui, *spretis,* ut aiunt, *mundi illecelebris,* corpus suum omnis generis afflictationibus tradiderunt ut liberius Deo inservirent ac animæ suæ utilitati sortique futuræ providerent. Per omnes orbis terrarum partes hujuscemodi homines exstiterunt qui, quum in Europa, tum in Asia et Africa, et antiquis et nostris temporibus, vitam piam egerunt, ex veterum cultibus vel ex illis qui adhuc florent, variis appellationibus, originem ducentes; reapse vero omnino pares inter se iisdem votis opinionibusque ducebantur, quum omnes eadem mente incitati idem haberent propositum. Quid enim refert illis nomen fuisse, vel etiam nunc esse, *reclus, moines, anachorètes, fakirs, bonzes, brahmanes, marabouts,* etc., ut gallicis utar appellationibus? Namque omnes præsentia specie saltem spernentes futuræque vitæ bona, vel etiam in hoc jam ævo intimam cum Deo unionem quærentes, diverso itinere ad eamdem vitæ metam tetenderunt.

Sed quanquam nulla terrarum regio hujuscemodi pietatis demonstratione caruit, haud tamen scio an aliqua orbis ter-

rarum pars Ægyptum unquam iis rebus anteierit. Quum enim Ægyptii sui etiam juris esse viderentur, viri quidam solitariam, ut diis patriis excellentissimos cultus peragerent, vitam agebant. Ptolemæorum tempestate, antequam Ægyptus in romanam ditionem venisset, notissimus fuit homo quidam *asceta*, gallice dictus *Le reclus du Sérapéum*, cujus scripta etiam nunc exstant in illo Musæo quod *Musée du Louvre* gallice vocant.[1] Neque hic Serapidi devotus solus fuit: multis aliis pariter eodem tempore viventibus, juxta Nili ripas notissima *Therapeutarum* congregatio propere effloruit. Itaque, quum christiana religio diocletianam post persecutionem fere totam Ægyptum occupaverit, non est mirandum quod multi Ægyptii paterna instituta haud abjurantes, alacri animo corporis afflictationibus se dederint, vitam solitariam et cœnobitarum agentes ut Deo placerent cœlorumque regnum violenter raperent. Jam tertio post Christum natum sæculo ad finem vergente, multi per Ægyptum erant monachi qui, ad Nili ripas aut prope vicos urbesque casula ædificata, solitarii victitabant, manuum opera sibi victum necessarium comparantes, vel ex fraterna Christianorum charitate panem accipientes. Atque etiam quidam in deserta loca penetraverant atque ab omnibus ignoti vitam perduram obscure agebant. Quibus ex monachis magnam partem, imperante Diocletiano, vitam cum sanguine fudisse in libro qui Cynaxarium inscribitur videri potest; longe autem abest ut illorum numerus æquiparari possit multitudini anachoretarum vel cœnobitarum qui, Diocletiani persecutionis fine facto, toti imperio romano admirationi fuere.

1. Utriusque sexus erant hi κάτοχοι, ut græce dicitur, quorum vitam æmulatus est Johannes Lycopolitanus. Cf. Leemans : *Papyri græci,* et Letronne passim.

Quum autem Constantinus imperio potitus esset, intra paucos annos, per totam Ægyptum ab Alexandria usque ad Syenem, ex omni parte, in Lybiæ haud secus atque Arabiæ deserto, monachi mirando quodam modo multiplicati sunt. Tunc exsurgit Antonius, tunc Macarius et Pachomius, tunc et ille Sinuthius quem omnes scriptores silentio prætererunt, etsi per Ægyptum superiorem magnam sit famam adeptus. Hi omnes sæculo post Christum natum quarto floruere illorumque fama per totius romani partes ita percrebuit, ut ingens hominum concursus in Ægyptum fieret ad illos invisendos ipsique imperatores, si scriptoribus fides sit adhibenda, horumce monachorum preces postularent. Cæterum maximum eorum numerum fuisse omnino constat: apud Pachomium septem cœnobitarum millia congregata fuere, apudque Macarium, ad Natronis lacus, prope montem coptice *Pernoudj* vocatum, saltem quindecim millia monachorum vitam piam degebant quæ non tantummodo admirationi, sed etiam imitationi fuit in Occidentis partibus. Viatores scriptoresque, et græci et etiam latini, per totum romanæ ditionis orbem virtutes, ut aiebant, ac stupendam vitæ normam vulgaverunt ac hujus vitæ imitandæ vehementem in corda injecerunt cupiditatem. Hinc illa monachalis ratio vitæ quæ multis rebus certe mutatis, usque ad nostra tempora viguit, etiam nunc viget, posthac vigebit.

Merito igitur horumce monachorum historiis studetur, ut ex illis quasdam humani ingenii species luce clariore disquirere queamus. Si vero hujuscemodi historiarum monumenta computantur, perpauca esse facile invenimus. Quæ inter perpauca numero monumenta notissimum quidem est opus quod vulgo nuncupatur *Historia lausiaca,* cui germana est *Historia monachorum* a Rufino, ut perhibetur, conscripta. Quum autem *Historia monachorum* fere in-

tegra in *Historia lausiaca* a Palladio transcripta sit ac translata, sequitur ut fere omnes nostræ de ægyptiis monachis cognitionis fontes in Palladii opere coalescant.[1] Ac mihi quidem hæc *Historia lausiaca* digna videtur quam summo opere scrutemur ut quanto usui ad veritatem cognoscendam scriptori sit, discernamus. Et usque adhuc quidem a doctissimis viris hæc Palladii ac Rufini, seu græca alia, seu latina de monachis ægyptiis opera genuina esse existimata sunt; solus Dr. Lucius qui nuperrime huic quæstioni studuit,[2] horum scriptorum auctores quodam opere priore usos esse suspicatus est. Mihi quidem per sex abhinc annos mei ingenii vires in historiam Ægypti christianæ conferenti, quum jam opera vel opuscula quædam de hac historia ediderim, scripta illa legenda fuerunt illorumque studio opera danda fuit, nam quanti sint ad hanc historiam scribendam pendere debebam : quo ex studio multas res collectas hac thesi confirmare probareque mihi proposui, nempe ab ipsis monachis ægyptiis libros, et quidem multos, exaratos fuisse, unde quidquid scripserint, vel saltem pleraque, ab auctoribus græcis ac latinis sint hausta. Quum autem hujus thesis vastitas terminis certis definienda mihi sit, tantum de Palladio disserere et quanti sit illius liber ad ægyptiorum monachorum scribendam historiam demonstrare constitui.

Sed si quis *Historiam lausiacam*, quamvis breviter, legerit, facile illam duabus partibus constare persuasum

1. Hic Palladius Helenopolitanus episcopus vitam egit vagam de qua fere nihil accepimus. Multum ambigitur utrum hic Palladius idem sit ac Palladius *De Joannis Chrysostomi vita dialogi* auctor. Cf. Tillemont, *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique*. *Historia Lausiaca* sic nuncupata est a præposito Lausio cui scripta est. — 2. *Zeitschrift für Kirchengeschichte* . . . . . von Th. Brieger, VII, 2, 1885, p. 169—198.

habebit: in priore, de Ægypti monachis, sive anachoretis, sive cœnobitis disserit Palladius, in altera parte de Palæstinæ regionis monachis. Sed, ut supra dixi titulusque huic dissertationi inscriptus lectorem docuerit, meæ indagationi eam tantum historiæ partem quæ de ægyptiis monachis tractat terminum posui, et multum habui cur hanc agendi rationem elegerim; primum quod ea *Historiæ lausiacæ* pars in unum coit distincteque ab alia discernitur; deinde quod summa ope enitor ut quam apprime historiam monachorum ægyptiorum, non autem Palæstinæ et Syriæ monasteriorum cellularumque, discam; tum quod, etiamsi Palladius ad alteram sui operis partem conficiendam iisdem artibus atque ad priorem usus sit, non satis syriacæ linguæ studui ut illa uti facile possim, quum ad copticam cognoscendam decem per annos omnem curam atque operam contulerim;[1] postremo quod Syriam ac Palæstinam non perlustravi, Ægyptum autem tribus annis incolui et peragravi, monasteria quæ ea qua vivimus tempestate exstant adivi, monachos invisi interrogavique, denique libros multos sive coptica, sive arabica lingua scriptos ex quibus multa ad meum propositum pertinentia addiscere potuerim, assidue collegi. Sed mihi per deserta monasteriaque peregrinanti sæpe in mentem veniebant quæ de antiquis Ægypti monachis, sive anachoretis, sive cœnobitis narrata sunt et utrum illa copticis libris congruant, prorsus examinandi consilium inivi.

Quum vero in duas partes natura ipsa Ægyptus sit divisa, nempe in inferiorem ac superiorem, Palladiusque hanc divisionem in suo opere secutus sit, eadem etiam hic

1. Sunt multa opera syriace scripta per bibliothecas Europæ sparsa, ad historiam christianæ per Syriam religionis spectantia. Quædam edita sunt; pleraque autem inedita. Cf. *Catalogue des manuscrits syriaques de la Bibliothèque nationale.*

assumpta, primum quidem de inferioris Ægypti monachis, tum de superioris Ægypti seu Thebaïdos anachoretis ac cœnobitis disseram.[1] In utraque parte an quæ Palladius scripserit inter se cohæreant scriptisque copticis, seu in ipsa regione exaratis, congruant perpendam, sicque facile videbitur quibus ex fontibus hauserit Palladius quæ scripserit, necnon quæ fides sit ei tribuenda.

Caput I.

Si quis triginta septem priora *Historiæ lausiacæ* capita legerit, facile his capitibus omnes quos noverit monachos inferioris Ægypti ac Scythiacæ regionis a Palladio enumeratos fuisse animadvertet, quorum vel vitia probro affecta, vel virtutes laudibus sunt elatæ.

Si auctori quidam fides est adhibenda, haud dubium mihi videtur quin Palladius ex narratis pleraque suis oculis ipse perspexerit, quæ non viderit ab aliis qui viderant acceperit. Unde hanc operis sui partem suomet ingenio illum exaravisse mihi colligere licet, quanquam ibidem quædam scripta inveniuntur quæ apud Rufinum quoque legimus. Cujus vero meæ sententiæ nunc offerenda sunt argumenta.

In priore *Historiæ lausiacæ* parte multa scripta sunt quæ Palladium ipsum spectant. Auctor[2] enim ipse suas

1. Hic notandum quo facilius intelligatur ordo a Palladio operi impositus Ægypti partes fere semper, ut ita dicam, variasse; lector autem mihi concedat ut sub inferioris Ægypti nomine omnem planitiem vulgo *Delta du Nil* nuncupatam comprehendam, subque mediæ Ægypti appellatione omnem regionem a Pyramidibus usque ad Lycopolim; Ægyptus autem superior a Lycopoli usque ad Syenem in longitudinem excrescit. — 2. Hunc auctorem esse Palladium omnes affirmant, et quidem recte fecisse mihi videntur; neque tamen mea quidquam refert illum auctorem Palladium revera esse

peregrinationes, suam agendi rationem, mali ingenii ad *peccatum* sollicitationes quas *tentationes* nunc vocant, describit, neque illa respuenda mihi esse videntur. Sic ut exempla proferam, se Alexandriam ad monasticæ vitæ disciplinas discendas Theodosio magno iterum consule appulisse narrat, et initio severiore disciplina usum, viribus incepto inferioribus repertis apud quemdam monachum, a monacho secessisse ac tres annos in Alexandriæ finibus confecisse;[1] postea se Nitriam contulisse ubi per novem annos, nisi forte in codices menda irrepsit, commoratus esset.[2] Sed Palladium hos novem annos Nitriæ totos consumpsisse non satis constat; nam quicumque opera coptica legerit, persæpe monachos alium alios visitasse et, nullius esse pretii tempus existimantes, haud raro longa itinera obiisse extremasque Ægypti oras, sive Orientem, sive Occidentem atque etiam Meridiem versus attigisse, non ignorabit. Et Palladius in procemio reapse se Syenem adiisse nos monet atque in opere ipso Scythiacam regionem peragrat, et Lycopolim Panopolimque ascendit.

Quibus ex dictis, duodecim annos in Ægypto Palladium confecisse, donec ex stomacho laborans Ægyptum reliquerit, docemur. Tunc Palæstinam peragravit Bithyniamque ingressus episcopus electus creatusque est. Si vero recte Palladius scripsit se in Ægypto duodecim annos vixisse, quid de illius in constantinopolitano concilio, anno 400, subscriptione ab ipso facta censendum non apparet.[3] Equidem fateor ex hac scriptorum discrepantia magnam oriri difficultatem, nec unde solvatur facile inveniri. Hic dixerit quis Palladium eo loco quo se novem annos Nitriæ com-

aut alium : de *Historia lausiaca,* non de Palladii vita disserturus sum. — 1. *Hist. laus.,* I—IV. — Edit. Migne, *Patrol. græc.* tom. XXXIX, vel *Patrol. lat.* LXXIII; nulla alia mihi occurrit editio. — 2. *Hist. laus.* XIX et XX. — 3. Baronii, *Annales* ad ann. 400.

moratum esse memorat, de se non esse locutum; imo d
se ipse loqui mihi videtur quum dicit : « Dico autem sanc
tum Macarium Alexandrinum qui erat presbyter eorun
quæ dicuntur Cellarum. In quibus cellis ego novem anno
habitans, ex quibus tres annos mecum vixit ille Macarius
in quiete sedens, ejus quidem optimæ vivendi rationis ali
quidem vidi opera et signa, alia vero didici ab iis qui cun
eo vixerunt. »[1] His igitur verbis diffidendum esse non censeo
præsertim quum alio Palladius loco se Didymum cœcun
prima vice, deinde secunda decem annorum interjecto in
tervallo[2] vidisse affirmat. Quæ quum ita sint, una tantun
illius solvendæ difficultatis mihi arridet ratio, nempe ho
novem annos nondum exactos fuisse quum Ægyptum re
liquerit Palladius, intraque decem vel undecim mense
Palæstinam Bithyniamque ac tandem Constantinopolim in
visisse. Quæ ratio si doctis haud repugnat, fatendum ipsi
est Palladium non iter, sed cursum per Palæstinam Bithyni
amque confecisse.

Sed quid cuique libuerit credat : quantum temporis
Palladio in Ægypto, sive Alexandriæ, sive Nitriæ con
sumptum sit parum interesse videtur, dummodo revera i
Ægypto diutius eum commoratum hanc terram ab Ale
xandria urbe usque ad primam Nili cataracten negari no
possit. Quæ quum ita sint, nihil in illius scriptis inveni quo
ab aliorum scriptorum dictis discrepet; multa autem sun
quæ, nisi vidisset, tam accurate describere nequivisse
Quædam enim apud illum inveniuntur locorum descrip
tiones quibus ab illo visa fuisse ipsa loca demonstratur
Cujus rei ut exempla referam, accuratissime arenosa loc
Alexandriæ circumjecta,[3] et iter Alexandria ad Nitri
montem perducens describit : «Cum ergo, inquit, cum mu

1. *Hist. laus.* XIX et XX. — 2. *Ibid.* IV. — 3. *Ibid.* II.

tis sanctis essem congressus et versatus tres annos in monasteriis quæ sunt circa Alexandriam et mansissem cum magnis studiosissimisque et optimis viris circiter bis mille, omni virtute ornatis, illinc secedens veni in montem Nitriæ. Inter hunc montem autem et Alexandriam positus est lacus qui dicitur Maria (scilicet lacus hodie *Mariout* nuncupatus, id est Maræotis) : is autem continet ad millia septuaginta. Quæ cum transmisissem per diem unum et dimidium veni in montem ad partem meridionalem. In quo monte sita est ingens solitudo quæ pertinet usque ad Æthiopiam et Mazicos et Mauritaniam.»[1] Et quæ ad Æthiopiam spectant deductis, sic profecto res se habet; animadvertendum autem est nostra quidem ætate Æthiopum nomine regionem designari quæ mari rubro adjacet, Palladii vero temporibus omnes desertorum locorum incolas qui, Syene post tergum relicta, ad Meridiem spectant, ab omnibus fere doctioribus sub Æthiopum nomine significatos, semperque Æthiopes a veteribus Ægypti incolis eos nominatos esse. Atque optime Palladius inter diversas hujus regionis partes quæ a geographis Scythiaca regio nuncupata est, discrimen facit, quod scribit : «Hic sanctus (Macarius Alexandrinus) habebat diversas cellas, unam quidem in Scete, quæ est interior in solitudine, et unam in Lybia, et unam in Celliis, et unam in monte Nitriæ.»[2] Denique alio loco Nitriæ partem asperrimam sub nomine κλίμακος indicat : «Habitavit initio (Ptolemæus) ultra Scetem in ea quæ dicitur κλίμαξ, id est scala. Est autem locus qui sic dicitur in quo nemo potest habitare propterea quod puteus aquarum distet decem et octo milliaribus.»[3] Itaque Palladius quod omnia loca, ut supra dixi, accuratissime describit, non debet dubitari quin omnia suis ipse oculis perspexerit.

1. *Hist. Laus.* VII. — 2. *Ibid.* XIX et XX. — 3. *Ibid.* XXXIII.

Sunt etiam *Historiæ lausiacæ* loca quæ ab auctore ipso esse excogitata apparet, nemo enim, nisi ille talia scribere potuit. Itinera quæ fecerit[1] non solum recte indicat amicosque nominibus suis designat,[2] sed etiam intimas mentis cogitationes adultique corporis concupiscentias confitetur. «Accidit autem, inquit, ut ego vexatus ab affectione femineæ cupiditatis, cogitationibusque et visis nocturnis, ferrem difficiliter. Cumque parum adesset quin propter hanc tentationem exirem e solitudine, quod me hæc animi perturbatio ageret vehementissime, vicinis quidem meis rem non exposui, sed neque meo magistro Evagrio, sed latenter veniens in solitudinem quindecim diebus versatus sum cum patribus senescentibus in solitudine, qui erant in Scete. Inter quos incidi etiam in sanctum virum Pachonem. Cum ergo invenissem eum sinceriorem et magis versatum in exercitatione, ausus sum ei meum animum aperire.» Pachon autem consolatus sui ipse animi in malum impetus narravit; tum Palladius : «His verbis, inquit, cum ad luctam adversus Satanam me confirmasset et ad bellum instruxisset, dimisit, jubens ut forti animo me gererem in omnibus.»[3] Quæ nemo, nisi ille qui fuerit expertus scribere potuisse, neque ad hæc scribenda ullo alio scripto opus fuisse videtur.

At in hac sui operis parte quosdam monachos memorat Palladius quos et ipse memoravit Rufinus contendique posset a Rufino quæ scripsit illum sumpsisse, quum Rufini *Historia monachorum*[4] longe ante Palladii *Historiam lau-*

1. *Hist. laus.* XLII et passim. — 2. *Ibid.* XXXIX. — 3. *Ibid.* XXXIII. — 4. Hic non affirmo *Historiam monachorum* a Rufino scriptam esse : magnæ sunt de hac quæstione difficultates. Certe Rufinus iter non fecit quod describit : magis mihi arridet sententia quæ Rufinum tantum scriptorem fuisse, non autem *actorem* itineris affirmat. Sed de his postea. Mihi solummodo cura habenda est de dictis, non autem de scriptoribus.

siacam in vulgus sit egressa. Sed lector de scriptis judicandi artis peritissimus quisque brevi tempore in hac *Historiæ lausiacæ* parte nihil a Rufino Palladium sumpsisse persuasum habebit. Quæ quo magis perspicua sint, satis erit capita *Historiæ monachorum* cum *Historiæ lausiacæ* capitibus respondentibus conferre. Hujuscemodi capita, in quibus Palladius Rufinusque conveniunt, tredecim sunt numero, et in illis numerantur Ammonius,[1] Didymus,[2] Cronius,[3] Origenes,[4] Evagrius,[5] duo Macarii, nempe Ægyptius et Alexandrinus,[6] Ammon primus Nitriæ monachus,[7] Paulus Simplex,[8] Piammon presbyter,[9] Joannes.[10] Sed de Didymo, Cronio, Origene, Joanne fere nihil scripsit Rufinus, et apud Palladium nihil omnino de Origene et Didymo invenitur, neque enim is Rufini Didymus idem fuit ac Didymus cœcus; eadem autem nisi forte paulo ampliora de Cronio[11] et Joanne. Sed quæ apud utrumque leguntur de Ammonio, Evagrio, Ammone, Paulo Simplice, Piammon presbytero inter se comparatis, multa inveniuntur diversa apud Palladium apudque Rufinum. Ex his igitur jam inferre licet Rufini libro non usum esse Palladium, præsertim quum quædam a Rufino prætermissa scripserit Helenopolitanus episcopus. Etenim si Palladio fides adhibetur, Ammonio tres fratres duasque sorores fuisse credendum; tres vero tantummodo fratres, si Rufino; illum Ammonium in Thebaïde monasterium ædificasse, ex Pal-

1. *Hist. laus.* LXX. — *Hist. mon.* XXIII. — 2. *Hist. laus.* IV. — *Hist. mon.* XXIV. — 3. *Hist. laus.* XXV. — *Hist. mon.* XXV. — 4. *Hist. laus.* deest. — *Hist. mon.* XXVI. — 5. *Hist. laus.* LXXXVI. — *Hist. mon.* XXVII. — 6. *Hist. laus.* XIX et XX. — *Hist. mon.* XXVIII et XXIX. — 7. *Hist. laus.* VIII. — *Hist. mon.* XXX. — 8. *Hist. laus.* XXVIII. — *Hist. mon.* XXXI. — 9. *Hist. laus.* LXXII. — *Hist. mon.* XXXII. — 10. *Hist. laus.* LXXIII. — *Hist. mon.* XXXIII. — 11. Duo habentur Cronii apud *Hist. Laus.* XXV et LXXXIX.

ladio, in Nitriæ monte ex Rufino cognoscitur; neuter autem hunc Ammonium unum ex tribus Longis (ut dicitur) fratribus fuisse dicit. Uterque vero de fratre qui «apud eum salvari volens» venerat, consentiunt, sed eadem tam diverso modo narrantur, ut de duobus Ammoniis apud Palladium inveniatur quod de uno narrat Rufinus. Evagrii diaconi vitam, abstinentiam illiusque a beato Macario institutionem breviter narrat Rufinus, fuse vero Palladius qui Evagrii fuit discipulus. De Ammone, primo Nitriæ monacho, ut refert Rufinus, uterque scriptor eadem narravit miracula, sed quartum miraculum addit Palladius «quod, inquit, narravit beatus Athanasius Alexandriæ episcopus in vita Antonii»; sed a Palladio relata rursus ampliora sunt quam illa quæ retulit Rufinus. Simili modo de Paulo simplice tria fuse narrat Palladius ex quibus duo tantum apud Rufinum inveniuntur, sed breviora: alia vero narrat aquileiensis presbyter quæ omisit Palladius præsertimque quamdam Pauli responsionem unde apparet cur ille sit *simplex* cognominatus.

Sed quanquam ex his rebus Rufini opere non usum esse Palladium concludere non dubito, attamen comparatione earum rerum facta quæ apud utrumque de duobus Macariis inveniuntur, magis quare ita sentiam in aperto fore puto. Macarium Ægyptium seu seniorem neuter quidem vidit omniaque a duobus scriptoribus relata a patribus Nitriæ illis narrata fuere. Brevior quidem est Rufini de Macario Ægyptio narratio; fusior vero Palladii; sed hoc unum tantum miraculum pariter apud utrumque invenitur, mulierem magicæ artis vi in formam equinam conversam. Sed de Macario Alexandrino seu juniore quædam sunt apud Rufinum quæ non apud Palladium narrata, inter quæ hanc Scythiacæ regionis descriptionem: «Locus autem in quo habitabat ipse sanctus Macarius, Scithium appellatur.

Est autem in eremo vastissima positus, diei et noctis iter habens de Nitriæ monasteriis : et hoc nulla semita neque terrenis aliquibus colligitur vel monstratur indiciis, sed stellarum signis et cursibus pergitur. Aqua raro invenitur, et sicubi inventa fuerit, odoris quidem dirissimi est, et quasi bituminea, sed saporis innoxii.»[1] Hæc est illius cellæ quam a Macario in Scete habitatam nos docuit supra Palladius[2] descriptio accurata. Item solus narrat Rufinus quomodo dæmon nocte quadam ad cellulæ Macarii ostium pulsaverit ut simul ad *collectam* progrederentur. Multa contra narrat de Macario juniore Palladius quæ frustra apud Rufinum quæreres. In his vero quæ apud utrumque referuntur, eadem scribendi ratione, fusiorem Palladii narrationem quam Rufini invenies. Quæ quo magis perspicua sint, libet hic transcribere quæ ambo de Jamne et Mambre[3] sepulcro narraverunt. «Ferebant tamen, inquit Rufinus, eum amatorem fuisse eremi super omnes ceteros, ita ut etiam ultima et inaccessibilia deserti perscrutatus sit loca, usquequo inveniret locum quemdam in ultimis eremi constitutum, diversis pomiferis arboribus consitum et omnibus bonis repletum : ubi etiam duos fratres invenisse ferebatur; quos cum rogaret ut paterentur ad se deduci illuc monachos, ut ibi habitarent, quoniam quidem locus ille et amœnus esset, et abundans in omnibus necessariis, responderunt non posse adduci illuc plures, ne forte venientes per eremum a dæmonibus deciperentur. Multos enim aiebant esse dæmones in deserto, ac monstra, quorum molestias et calliditates ferre multitudo insueta non posset. Regressus tamen ad fratres, cum indicasset de opportunitate loci, multorum inflammati sunt animi ut pergerent illuc cum eo. Sed ubi patres reliqui senserunt animos juvenum concitatos, re-

1. *Hist. mon.* Patr. lat. XXI, col. 453. — 2. Cf. supra p. 9. — 3. De Jamne et Mambre, cf. II Ep. ad. Timoth. III, 8.

presserunt eos salubriore consilio, dicentes : locus iste si vere, ut jactatur, a Jamne et Mambre consitus est, non aliud de eo credendum est, nisi quod diaboli opere ad deceptionem nostram præparatus sit. Si enim vere, ut perhibent, deliciosus est et abundans, quid sperabimus in futuro sæculo, si hic deliciis fruimur? Et hæc atque alia hujuscemodi dicentes, juvenum ferventes animos represserunt.»[1]

Hæc quidem Rufinus : Palladium nunc adeamus. «Is cupiit (nempe Macarius), inquit Palladius, ut ipse nobis narravit, quod in hortis erat aliquando ingredi monimentum quod dicitur κηποτάφιον Jamne et Mambre, magorum qui erant tempore Pharaonis, ut id videret, vel etiam ut conveniret eos qui illic sunt dæmones. Dicebatur enim plurimos, eosque ferocissimos, in eo loco ab illis collocatos esse dæmones per infamis artis eorum excellentiam. Hoc autem monimentum factum est a Jamne et Mambre fratribus, qui propter magicæ artis excellentiam primas partes habebant illo tempore apud Pharaonem. Ut qui ergo illo vitæ suæ tempore maximam in Ægypto haberent potestatem, construxerunt illud opus ex lapidibus quadratis et suum illic fecerunt monimentum : et cum multum illic auri deposuissent et omne genus arbores *(sic)* plantassent, maximum quoque puteum aquæ foderunt : est enim locus humidus. Hæc autem omnia fecerunt, sperantes post suum hinc discessum frui deliciis in illo paradiso. Tandem ergo quoniam nesciebat viam quæ ad eum ducit hortum Dei servus Macarius, conjectura quadam sequebatur astra et sicut nautæ qui transmittunt maria, totam pervasit sanctus solitudinem; et cum aliquot etiam accepisset arundines, unam statuit in unoquoque milliari, ut per ea signa re-

1. *Hist. mon.*, loc. cit., col. 453.

mearet. Cum ergo intra novem dies totam illam pervasisset solitudinem et esset prope illum hortum, succedente nocte parum dormiit. Immanis vero dæmon qui semper adversatur Christi athletis, cum collegisset omnes illas arundines, dormiente Macario, et circiter ad unum lapidem a monimento ad ejus caput posuisset, recessit; postquam ergo surrexit invenit colligatas arundines quas ipse fixerat signi causa. Fortasse autem hoc quoque fuit Dei permissio ad majorem ejus exercitationem, ut non speraret in arundinibus, sed in Dei gratia, quæ per columnam nubis deduxit Israël quadraginta annis in terribili illa solitudine. Dicebat autem Macarius : Cum propius accessi ad illud monimentum, ex eo egressi mihi occurerunt ad septuaginta dæmones variis formis præditi : alii quidem clamantes, alii vero exsilientes, alii vero cum magno fremitu in me stridentes dentibus, alii vero tanquam corvi volantes, audebant meo vultui insultare, dicentes : Quid vis, Macari, tentatio monachorum? quid ad nos accessisti? annon nos quoque aliquem ex monachis vexavimus? Quæ nostra sunt, tu cum tuis similibus illic habes, nempe solitudinem, et illinc cognatos fugavistis. Nihil est nobis tecum commune. Quid loca nostra invadis? Tanquam anachoreta, contentus esto solitudine. Qui hunc locum ædificarunt, eum nobis assignarunt : non potes hic manere. Quid quæris ingredi in hanc possessionem, in quam nullus ex vivis hominibus est ingressus, ex quo fratribus qui hoc condiderunt sunt a nobis hic factæ exsequiæ. Et cum multa adhuc turbarent et insultarent dæmones, dixit eis sanctus Macarius: Ingrediar tantum, et videbo, et hinc recedam. Dixerunt autem dæmones : Hoc nobis promitte in tua conscientia. Dicit autem Christi servus : Hoc faciam. Dæmones autem evanuerunt. Ingrediente autem eo in paradisum, ei occurrit diabolus cum stricta romphæa, ei minitans. Ad quem

hanc vocem respondit sanctus Macarius : Tu venis ad me in stricta romphæa, et ego contra te ingrediar in nomine Dei sabaoth, in acie Dei Israel. Ingressus autem, contemplatus sum omnia, in quibus inveni etiam cadum æneum catena ferrea pendentem ex puteo, jam tempore consumptum, et fructum malorum punicorum quæ nihil intus habebant, fuerant enim arefacta a sole, et plurima aurea donaria. Cum sanctus ergo illinc recessisset absque tumultu et citra illam perturbationem, reversus est per viginti dies in suam cellam.»[1]

Ex his igitur pro manifesto habendum est in hoc sui operis parte Palladium ex Rufini scriptis non hausisse quæ narrat. Præterea apud Rufinum quamdam, ut ita dicam, rerum ac sententiarum dispositionem, quasdam transitiones videmus quæ nusquam apud Palladium inveniuntur. Antequam rerum narrationem aggrediatur Rufinus, loca describit hominumque inhabitantium mores, posteaque explicantur quæ ab auctore visa aut illi narrata fuere. Palladius vero, quum illi res ab ipso non compertæ narrandæ sunt, satis habet, ut apud copticos scriptores, dicere : Hic aut ille mihi narravit quemdam fuisse etc.; ita ut nulla illi narrationis atque orationis cura fuisse videatur. Sed hæc narrandi ab utroque adhibita ratio dilucidius apparebit, si amborum de Paulo simplice priora verba contulerimus. «Fuit quidam, inquit Rufinus, inter discipulos sancti Antonii, Paulus nomine, cognominatus Simplex. Hic initium conversionis suæ hujusmodi habuit.»[2] Palladius autem sic incipit narrare : «Narravit autem sanctus Christi servus Hierax et Cronius et plures alii ex fratribus ea quæ sum dicturus, quod quidam Paulus agrestis agricola, insigniter innocens et moribus simplex, uxorem duxerat mulierem formosissi-

1. *Hist. Laus.* XIX et XX. — 2. *Hist. mon.* XXXI.

mam, sed moribus improbam quæ longissimo tempore peccans eum latuit.»[1]

Quid igitur? in hac sui operis parte in Palladium Rufini nullo modo jus esse manifestum nonne videtur? Uterque visa sibi aut alii narraverunt, et quæ nulli visa ab alio fonte hausere. Et quidem Palladium ex externo fonte hausisse patet quum ipse narranda a monachis quibusdam quos nominatim designat audivisse fatetur, vel tantummodo scribit : narravit quidam etc. Ex alia parte hæ narrationes ita sunt portentosæ ut omnem fidem excedant omninoque ingenium ægyptium redoleant, non autem græcum, quamvis credulissimum. Quis enim sano ingenio præditus ac litteris etiam parumper instructus (idemque dicendum de Rufino) narratione adduceret quamdam mulierem in formam equinam magicarum quarumdam artium vi conversam quum illa libidinem amantis recusaret. Sunt et multa alia hujuscemodi miracula quæ ad nos, Palladio Rufinoque narrantibus, pervenere nosque monent ut illis auctoribus fidem nostram diffidenter præbeamus, quia avidissime etiam incredibilia quæ mente excogitare nequivissent credidere. Eodem modo, quum ad omnia animum religiosæ superstitionis plenum attenderent Palladius et ejus amici, sæpe illis quæ viderant miracula adjecerunt quæ nullo modo menti rationis haud experti fidem incutere queunt. Et Palladio, magis quam Rufino, portentosa arridere videntur, neque ullum apud illum invenitur verbum quod scriptori vel levissimam dubitationem de miraculis quæ narrat adductam fuisse demonstret. Res etiam vulgares rerumque naturæ consentaneas ita amplificat, ut neque cognosci, neque agnosci jam queant, perinde ac si nihil nisi prodigiosum ac prope divinum monacho evenire possit. Itaque

1. *Hist. laus.* XXVIII.

ut exemplum afferam, si monachus quidam hydropisi laborat, corpus adeo intumescere ait, ut, illo mortuo, sublatum sit limen ostii ac postes et ipsa porta ut e cella corpus efferri possit.[1] Multa alia hujuscemodi in *Historia lausiaca*, si legeris, invenies.

Inde apparet Palladii dicta maxima prudentia scriptori adhibenda esse, quum ad miracula pertinent; quotiescumque vero regiones depingit, monachos nominat, eorum mores, jejunia, *crucifixiones*, ut aiebant hi monachi, commemorat, cui fidem præbeamus dignus est. Equidem meam sententiam si tantummodo enuntiarem et ut confirmaretur non curarem, illa jure negari posset; sed hanc confirmare et possum et volo rationibus quæ in lucem adhuc non prodierunt, quia in nullius scriptoris mentem venit *Historiam lausiacam* cum copticis libris conferre.

Quicumque quamvis paulum rebus ægyptiis studuit non præteribit Coptos non alios esse ac veterum Ægyptorum progeniem, neque eorum linguam aliam esse ac patriam litteris græcis, nec jam hieroglyphicis, hieraticis aut demoticis scriptam. Quæ lingua multum quidem a vetere lingua ægyptiaca differt, sed vere genuina matris filia est.[2] Atque in hoc lingua multi conscripti fuere libri qui ad nos in membranis, sive integri, sive trunci pervenerunt. Hi libri, si illos qui Christianorum scripturas sacras, ut dicitur, vel precum in Ecclesiis recitandarum ordinem continent exemeris, nobis acta martyrum, monachorum vel patriarcharum vitas, vel omnino fabulosas narrationes, vel quædam alia, ut orationes et orationum quasdam transla-

1. *Hist. laus.* XIII. — 2. Coptica lingua est ipsa lingua ægyptiaca a Christianis usurpata. Nullus invenitur liber copticus qui a Christianis et de Christianis rebus non sit scriptus. Sciunt omnes insuper verbum ipsum Copticus, vel Coptita, vel Coptus idem esse ac verbum Ægyptus de quo prima syllaba amputata est.

tiones græce vel syriace habitarum, nobis tradiderunt, ante omnia autem monachorum historias. Permulti quidem hi libri olim fuere, nunc vero multi periere ex quibus aliquot arabice translati res narratas nobis satis accurate servaverunt. Sed usque ad hoc tempus illorum librorum majorem partem sive lingua coptica exaratorum, sive arabice translatorum legere fere nulli in mentem venit : per bibliothecas jacent, neque ullius manus illa volumina explicat, neque oculus legit, neque illis ingenium operam dat. Cujus incuriæ duplex esse causa mihi videtur : prima quod lingua fere omnibus ignota est; altera quod rerum historicarum scriptores opera græca habentes græcumque ingenium maximi facientes, opera coptice scripta parvi duxerunt. Attamen ætate nostra quidam doctissimi viri animum ad coptica attenderunt, sed paucissimi, atque illa, ut ita dicam, contenti fuerunt delibare. Certe illis quidem venia tribuenda est, nam coptici codices per omnes Europæ bibliothecas sparsi difficillime a cupidissimo quoque illis studendi adeuntur. Mihi autem illos et in Ægypto, et Oxonii, et Londini, et Parisiis, et Romæ et Neapoli et etiam Venetiis colligere transcribereque, ut jam dixi, licuit; quos cum transcriberem, multa a me intellecta sunt ex quibus inferre poteram quo modo ægyptiorum monachorum historia nobis a græcis vel latinis auctoribus sit narrata.

Triplici igitur modo instituti sunt per Ægyptum monachi, et quidem eodem tempore. Primum, si quis se ad religiosam vitam dare, seu monachus fieri cuperet, sibi casulam quamdam extra vicum luto ædificabat solusque manebat, victum manuum labore sibi parans, aut ab amicis vel religiosis hominibus accipiens. Quum autem horum vere monachorum aliquis virtutibus eximiis famam consecutus esset, multi illius agendi rationem videre imitarique cupientes illum adibant. Inde factum est ut ille Antonius

quo nemo nobilior fuit et qui monachorum immerito pater habetur, hominum ac monachorum frequentiam fugiens, prope mare Rubrum sibi ædificaverit cellam, vel potius foderit. Atque initio quidem latuit, sed brevi quibusdam camelorum ductoribus notus fuit neque multum post temporis major apud illum in deserto fuit hominum frequentia quam in Ægypto. Illius permulti fuere discipuli et paulatim aliæ prope illius cellæ ædificatæ vel effossæ sunt; monachi tamen vitam agebant nemini, ne Antonio quidem mancipatam, manentes, abeuntes, redeuntes, prout quemque suum ferebat ingenium aut sua libido. Hos inter Antonii discipulos quadam die adfuit Macarius qui cella quam prope suum vicum primo incoluerat relicta, haud secus atque Antonius vicinorum et cognatorum frequentiam ac reverentiam fugiens, in aliam Ægypti partem se transtulerat in quâ ignobili affectus supplicio multa perpessus est antequam Scythiacam regionem jam eremitis plenam adiret. Audita Antonii fama, ad mare Rubrum profectus est, Antoniique consuetudine frui potuit atque exemplis. Quod iter denuo etiam iniit antequam ad Nitriæ lacus multos monachos ad monachalem religionem institueret illisque certas leges constitueret. Ex his legibus monachis primum in diversa loca dispersis et nulli addictis commune quoddam innexum est vinculum quo illi certis horis ad Deum preces fundere, vel manibus laborare, vel vigilare, vel dormire, vel edere poterant, nec tamen in uno loco congregati, si *cynaxeos* horam et diem exceperis. Pessima enim magistra visa erat Macario solitudo expertusque ille erat hominibus cæterum rudibus ac natura ad voluptatem propensis et lege opus esse stabili et monitore qui illos per rectiorem viam duceret. Neque tamen unquam illi in mentem venit omnes vitæ religiosæ ac monachicæ studiosos congregare, illos ad vitæ bene et ratione dispositæ atque

unius moris normam redigere et uniuscujusque labores ad omnium utilitatem promovendam convertere.

Sed hæc vitæ communis seu cœnobiticæ ratio non inferiore, sed ex Ægypto superiore oritura erat. Velut enim ad mare Rubrum Macarium docuerat Antonius, ita Pachomium eodem tempore docebat quidam senex monachus, nomine Palamon, ad vicum qui græce dicitur Chenoboscion (χηνοβόσκιον), coptice vero Schenesît. Ille Pachomius quum, Palamone etiam vivente, monachos congregare et cum illis eodem loco eodemque modo vivere in mentem venisset, magistro mortuo quam tantummodo, ut ita dicam, in animo gestarat institutionem, actu perficere incepit. Itaque brevi tempore ingenti monachorum apud se numero congregato, illos sua instituta ita edocuit ut illa rudis ingenii homines accipere atque intelligere possent. Neque vero in medium cursum tunc processerat quartum post Christum natum sæculum.

Sed hanc esse monachicæ vitæ rationem atque explicationem recte mihi ex operibus copticis colligi videtur; quam monachicæ religionis explicationem, si tantum rerum rationi attenderis, naturæ humanæ convenientem habebis; attamen illius vitæ ultima, ut ita dicam, evolutio, quum sit eodem tempore effecta, necessario ex illis duobus institutis revera non pependit. Ut autem Antonii tempestate vivebat Macarius, ita Pachomius quoque, qui cum numquam Antonium vidisset, Macarium conspexit, nam, audita novi instituti fama, Macarius ad Chenoboscion se contulerat. Hanc frustra apud auctores et græcos et latinos et etiam apud copticos progressionem quæreres, sed ex libris copticis quicumque hos libros studiosissime et plurime volutatus quantum hæc naturæ et factis consentanea sint facile intelliget.

Ac multi quidem sunt libri a Coptis de Antonio exarati,

et potissimum de Macario Nitriæque monachis et de Pachomio cœnobitisque. Nihil majori curæ erat sive monachis, sive cœnobitis, quam religiosa Patrum ac Fratrum, ut aiebant, facinora scribere ut quotiescumque suo indulgere ingenio quidam vellet, illa legere atque imitari posset. Hinc tanta librorum sive in Nitriæ monasteriis, sive in Ægypti superioris cœnobiis conscriptorum multitudo. Vix clarissimi inter monachos Patres, Antonius, Paulus Eremita, Macarius, Pachomius, Sinuthius vita functi erant quum illorum discipuli quæcumque facta, quæcumque dicta, quæcumque visa, audita aut memoria retenta scribenda curaverunt. Itaque, nam exempla proferam, Visa discipulus, uno tantum forsan anno post magistri mortem, Sinuthii vitam diligentissime litteris persecutus est, et Pachomii gesta ex Theodori discipuli narratione quindecim tantum elapsis annis post ejus obitum, a fratribus cœnobitis in vico Phboou nuncupato conscripta sunt. Postquam autem hi magni Patres vitæque monachicæ conditores diem supremum obierunt, si quis deinde virtutibus eximiis vel propriæ carnis macerationibus aut prodigiis clarus evadebat, statim illius post mortem historiam scribebant æquales. Atque interdum ne mors quidem expectabatur : ex Patribus quidam sive narrationes, sive orationes scribebant unde illorum acta vel dicta pendere possumus. Quin etiam brevi exemplorum ratio miraculorum appetentibus monachis non satis fuit, sed certatim suum ingenium ad fabulosas ac prodigiosas quasdam conficiendas narrationes adjunxerunt. Namque jam a puero Coptitæ fabulas audierant quas olim Pharaonum scribæ poëtæque animi oblectandi gratia finxerant; illorum enim mentes minime a diis antiquis Ægypti abhorrentes novæ religionis tantum extimam formam acceperant semperque Osiridi et Isidi atque omnibus patrum diis addictæ erant. Etenim ante omnia scribendi arte ve-

teres Ægyptii gavisi eam summis laudibus affecerant: idem studium nepotes tenebat.

Sed ut ad *Historiam lausiacam* et Nitriæ monachos revertar, ab his multos libros scriptos esse dicendum mihi videtur. Adhuc exstant quædam opera, sive integra, ut Macarii magni vita, Johannis Colobi et Danielis hegoumeni historia; sive manca, ut Antonii, Pauli eremitæ, Macarii Alexandrini vitæ. Simul atque Nitrii montis et Scythiacæ regionis a monachis Macarii institutionem sequentibus fama pervulgata est, illis monachis res monachicas scribere summæ curæ fuit. Et initio quidem res illas voce viva narrare satis sibi habuerunt, ut de Pachomio ejusque cœnobitis legimus, sed brevi tempore, sermonis fugacitate perspecta, ad scriptionis stabilitatem confugerunt. Multæ quidem sunt monachorum vitæ quæ, vel a barbaris, vel a monachis ipsis vastatæ ac deperditæ, temporis lapsu perierunt; sæpe enim Nitrium montem barbarorum gentes depopulatæ sunt futurumque erat tempus quo monachi suos libros non intellecturi, sed neglecturi aut etiam contempturi erant. Ex his operibus deperditis quædam principio memphitica linguæ copticæ dialecto scripta ad nos translatione sive sahidica, sive arabica pervenerunt, ut *Patrum Apophthegmata, Monachorum Paradisus,* etc. Sed quum in Ægypto superiore monachi ejusdem linguæ alia dialecto uterentur, libros memphitice scriptos, id est in Ægypti inferioris dialecto, in Sahidicam superioris transferri, et vice versa, necesse fuit. Cujus rei vitæ Sinuthii compendium mihi argumento est, nunc memphitice apud Vaticanum codicem LXVI servatum; nam Visam Sinuthii discipulum magistri vitam scripsisse lingua qua in sua regione, seu in Panopolitano nomo utebantur pro certo habendum est. Præterea multi codices seu codicum fragmenta in Sinuthii monasterio, *Deir anba Schnoudi,* seu *Deir el-abiat*

(monasterium Sinuthii patris, vel monasterium album) vulgo nuncupato, aut antiquitus, aut nuperrime inventa sunt, neque ulla codicis pagina memphitice scripta fuerat. Quæ opera contra, quum primum in memphitica dialecto exarata, in sahidicam transferebantur, ut monachi qui tantum Ægypti superioris dialectum intelligebant, illa legere possent ac meditari.

Huc accedit quod mos fuit in Nitriæ monasteriis omnes monachos qui sancti ac maximis virtutibus præditi habebantur nominatim libro qui *liber scythiacæ regionis monachorum* nuncupari posset, inscribere. De hujus enim modi libro aperte loquitur auctor qui vitam Johannis Colobi memphitice scripsit, dicens: « Accuratius autem discemus ea quæ quærimus ex libro sanctorum seniorum quo res eorum enarrantur æque ac ejus sancti cujus festum hodie celebramus; liber autem alio nomine dicitur Paradisus, et quidem merito ex scribendi ratione convenienterque hunc librum tali nomine appellaverunt, nam sanctorum et animarum in hoc Paradiso enumeratione impletus omnimodo est magnus lætitiæ Paradisus, et hic hujusmodi unicus liber nunc exstat et usque ad sæculorum consummationem perdurabit, animas parans quæ Deo offerri dignæ sint, quæ bonam vitam agent ita ut ex hoc scientiam sumant cum vero judicio fiantque Spiritus sancti templa, hæreditatem vitæ æternæ mereantur ex meditatione factorum et salutarium laborum ab his luminaribus de quibus in eo agitur toleratorum.[1] Sunt autem abba Paulus Magnus et abba Antonius, abba Palamon et abba Pachomius, abba Ursinus et abba Petronius, abba Theodorus et abba Mona, abba Ammon et abba Matoi, abba Macarius magnus et alter abba Macarius Alexandrinus, abba Isidorus et abba

1. Hanc orationis figuram in me non recipio.

Pamo, abba Djidjôi et abba Amoi, abba Mose et abba Romanus, abba Joseph et abba Chronius, abba Besarion et abba Poimen, abba Arsenius et abba Paphnuti, abba Hilarion et abba Ephrem Syrus, abba Evagrius et abba Sylvanus, abba Zenon et abba Senuthi, abba Isaias et abba Petrus discipulus ejus, abba Lucius et abba Longinus, et pater noster sanctus presbyter cujus festum hodie celebramus, sanctus præpositus abba Johannes Colobi.»[1]

1. ⲛϩⲟⲩⲟ ⲇⲉ ⲁⲛⲛⲁⲉⲙⲓ ⲉⲧⲁⲕⲣⲓⲃⲓⲁ ⲙⲫⲏ ⲉⲧⲉⲛⲕⲱϯ ⲛⲥⲱϥ ⲟⲣⲑⲱⲥ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲙ ⲡϫⲱⲙ ⲛⲛⲓϧⲉⲗⲗⲟⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲉⲑⲃⲉ ⲛⲏ ⲉⲧⲁⲩⲓⲥⲧⲟⲣⲓⲛ ⲙⲙⲱⲟⲩ ⲛϧⲏⲧϥ ⲉⲑⲃⲉ ⲡⲁⲓⲁⲅⲓⲟⲥ ⲉⲧⲉⲛⲉⲣ ϣⲁⲓ ⲛⲁϥ ⲙⲫⲟⲟⲩ ⲟⲩⲟϩ ⲡⲁⲓϫⲱⲙ ⲫⲁⲓ ⲉⲧⲁⲩⲉⲣ ⲛⲕⲉϯ ⲣⲉⲛϥ ϫⲉ ⲡⲁⲣⲁⲇⲓⲥⲟⲥ ⲟⲩⲟϩ ⲇⲓⲕⲉⲱⲥ ⲕⲁⲧⲁ ⲫⲣⲏϯ ⲉⲧⲥϧⲏⲟⲩⲧ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲧⲉⲣⲡⲣⲉⲡⲓ ⲕⲁⲗⲱⲥ ⲟⲩⲛ ⲁⲩⲙⲟⲩϯ ⲉⲣⲟϥ ⲉⲡⲁⲓⲣⲁⲛ ⲕⲉ ⲅⲁⲣ ϧⲉⲛ ⲧⲟⲛⲟⲙⲁⲥⲓⲁ ⲛⲛⲓⲁⲅⲓⲟⲥ ⲉⲧⲥϧⲏⲟⲩⲧ ⲉⲡⲁⲓ ⲡⲁⲣⲁⲇⲓⲥⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲯⲩⲭⲟⲛ ⲫⲁⲓ ⲉⲧⲁϥⲙⲟϩ ⲡⲁⲛⲧⲱⲥ ⲛϫⲉ ⲡⲓⲛⲓϣϯ ⲙⲡⲁⲣⲁⲇⲓⲥⲟⲥ ⲛⲧⲉ ⲡⲟⲩⲛⲟϥ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲧⲓ ⲟⲛ ϣⲁ ϯⲛⲟⲩ ⲛⲉⲙ ϣⲁ ϯⲥⲩⲛⲧⲉⲗⲓⲁ ⲛⲧⲉ ⲡⲁⲓⲉⲱⲛ ϥⲛⲁⲕⲏⲛ ⲁⲛ ⲛϫⲉ ⲡⲁⲓϫⲱⲙ ⲛⲟⲩⲱⲧ ⲫⲁⲓ ⲉϥⲥⲟⲃϯ ⲛϩⲁⲛ ⲯⲩⲭⲏ ⲟⲛ ⲛⲟⲩⲇⲱⲣⲟⲛ ⲙⲫ̅ϯ ⲛⲏ ⲉⲑⲛⲁⲱⲛϧ ⲛⲕⲁⲗⲱⲥ ⲉⲑⲣⲟⲩϭⲓ ⲉⲃⲟⲗ ⲛϧⲏⲧϥ ⲛⲟⲩⲉⲙⲓ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲇⲓⲁⲕⲣⲏⲥⲓⲥ ⲙⲙⲏⲓ ⲉⲑⲣⲟⲩϣⲱⲡⲓ ⲛⲟⲩⲉⲣⲫⲉⲓ ⲛⲧⲉ ⲡⲓⲡ̅ⲛ̅ⲁ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲟⲩⲟϩ ⲉϣⲁϣⲛⲓ ⲉⲧⲕⲗⲏⲣⲟⲛⲟⲙⲓⲁ ⲙⲡⲓⲱⲛϧ ⲛⲉⲛⲉϩ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲉⲛ ⲡⲭⲟϩ ⲛⲛⲓⲡⲣⲁⲝⲓⲥ ⲛⲉⲙ ⲛⲓϧⲓⲥⲓ ⲛⲟⲩϫⲁⲓ ⲛⲧⲉ ⲛⲓⲫⲱⲥⲧⲏⲣ ⲉⲧⲥϧⲏⲟⲩⲧ ϩⲓⲱⲧϥ ⲉⲧⲉ ⲛⲁⲓ ⲛⲉ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲁⲩⲗⲉ ⲡⲓⲛⲓϣϯ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲁⲛⲧⲱⲛⲓ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲁⲗⲁⲙⲱⲛ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲁϧⲱⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲱⲣⲓⲛⲟⲥ *(sic)* ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲉⲧⲣⲱⲛⲓⲟⲥ ⲁⲃⲃⲁ ⲑⲉⲟⲇⲱⲣⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲙⲱⲛⲁ ⲁⲃⲃⲁ ⲁⲙⲟⲩⲛ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲙⲁⲧⲟⲓ ⲁⲃⲃⲁ ⲙⲁⲕⲁⲣⲓ ⲡⲓⲛⲓϣϯ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲙⲁⲕⲁⲣⲓⲟⲥ ⲟⲛ ⲁⲃⲃⲁ ⲓⲥⲓⲇⲱⲣⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲁⲙⲱ ⲁⲃⲃⲁ ϫⲓϭⲱⲓ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲁⲙⲟⲓ ⲁⲃⲃⲁ ⲙⲟⲩⲥⲏ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲣⲱⲙⲁⲛⲟⲥ ⲁⲃⲃⲁ ⲓⲱⲥⲏⲫ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲭⲣⲟⲛⲓ ⲁⲃⲃⲁ ⲃⲏⲥⲁⲣⲓⲱⲛ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲟⲓⲙⲏⲛ ⲁⲃⲃⲁ ⲁⲣⲥⲉⲛⲓ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲁⲫⲛⲟⲩϯ ⲁⲃⲃⲁ ⲏⲗⲁⲣⲓⲱⲛ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲉⲫⲣⲉⲙ ⲡⲓⲥⲩⲣⲟⲥ ⲁⲃⲃⲁ ⲉⲩⲁⲅⲣⲓⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲥⲟⲩⲗⲟⲩⲁⲛⲟⲥ ⲁⲃⲃⲁ ⲍⲏⲛⲱⲛ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲥⲉⲛⲟⲩⲑⲓ ⲁⲃⲃⲁ ⲏⲥⲁⲓⲁⲥ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲡⲉⲧⲣⲟⲥ ⲡⲉϥⲙⲁⲑⲏⲧⲏⲥ ⲁⲃⲃⲁ ⲗⲟⲩⲕⲓⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲁⲃⲃⲁ ⲗⲟⲅⲅⲓⲛⲟⲥ ⲛⲉⲙ ⲡⲉⲛⲓⲱⲧ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲙⲡⲣⲉⲥⲃⲩⲧⲉⲣⲟⲥ ⲉⲧⲉⲛⲉⲣ ϣⲁⲓ ⲛⲁϥ ⲙⲫⲟⲟⲩ ⲫⲏ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛⲏⲅⲟⲩⲙⲉⲛⲟⲥ ⲁⲃⲃⲁ ⲓⲱⲁⲛⲛⲏⲥ ⲡⲓⲕⲟⲗⲟⲃⲟⲥ.

Hunc librum Nitriæ monachis quasi proprium fuisse testatur major in illo enumeratorum pars monachorum qui Nitrium montem Scythiacamque regionem incoluerunt: de aliis, ut de Paulo magno, de Antonio, de Palamone, Pachomio hujusque discipulis, Ursino, Petronio, Theodoro, Mona[1] Nitrienses monachi, sive a viatoribus accepta sive ex illorum vitis cognita tradiderunt, haud secus ac de Ephrem Syro ac Hilarione qui Palæstinam incoluerunt. Ægyptii monachi quamvis vestitum peculiarem religiosamque vitam simul induissent, veterum Ægyptorum itinera longa ineundi propensionem, quod postea fusius disseremus, non amiserant semperque (postea abundantius dicendi mihi locus erit) regiones sive Ægypti, sive externas peragrabant, servos Christi, ut aiebant, videndi cupiditate allecti illorumque virtutes mirandi. Posteaquam ad suas contubernales revenerant, nihil antiquius habebant quam ut visa fratribus narrarent interdumque scriberent. Ex diversis igitur hujuscemodi elementis conflati sunt libri quorum *Monachorum paradisus,* arabice *Boustan er-roheban,* et *Apophthegmata Patrum* speciem nobis ipsam præbent. Sed de his vero *Patrum apophthegmatibus* mihi dicendum est quid sentiam.

Quod opus notissimum est apud monachorum historiæ nec non apud ethicæ rei christianæ scriptores, seu *asceticos,* ut aiunt, auctores, ex hoc fonte omnibus illis mirandæ virtutis exemplis haustis quibus laudem ac gloriam in hos monachos certatim cumulaverunt. Sed si Rosweydio[2] illi viro doctissimo fides adhiberi potest, triplex est hic *verba Seniorum* complectens liber et ex his tribus partibus una quidem a Rufino scripta, sed altera et tertia pars græce

1. De hoc Mona non agitur in libris copticis de Pachomio, sed de Mîna et de Mauo. — 2. Cf. Rosweyd : Vitæ Patrum, apud Migne, *Patrol. lat.,* tom. LXXIII.

a græco quodam incerto auctore conscriptæ fuissent, nam rei testem affert Photium; sed nil nostra refert hujus testis auctoritas quum tantummodo nobis se græco quodam codice usum fuisse testari possit. Utcunque res se habet, constat hunc librum coptice et quidem memphitica dialecto a Nitriæ monachis scriptum primum fuisse. Hunc enim librum coptice scriptum fuisse fidem facit magna ejus pars libri quam apud Zoegam invenire est editam ac in bibliothecæ Neapoleos conservatam codicibus, in quibus nil translationem redolet. Ex alia parte si ad hos codices animum attenderis nullius monachi qui superiorem Ægyptum incoluerit, Lycopoli superata, nomen invenies, multorum vero nomina monachorum qui Scythiacam regionem Nitriosque montes incoluerunt sicque persuasum habebis hujus libri auctorem seu potius scriptorem qui hunc librum diversis ex partibus composuit, nihil de monachis ultra Lycopolim vitam degentibus cognovisse, omnia vero et quidem optime de monachis intra Lycopolim Nitriosque montes commorantibus et præsertim de his qui in Scythiaca regione vitam religiosam iniverant.

Quæ quum ita sint, nulli veritatis indagatori mirandum videbitur Palladium quum se novem annos inter Nitrienses monachos confecisse fateatur, horum librorum haud ignarum fuisse. Se ipsum etiam profitetur ardenti cupiditate flagravisse sanctorum vitam imitandi illorumque gressus prosequendi, nullamque esse aptiorem rationem virtute excellentium hominum imitandorum quam illorum vitam legere. Si igitur horum virorum historias legit Palladius, cur his non usus esset ad *Historiam lausiacam* scribendam non apparet. Rationi ergo consentaneum est illum operibus quæ legerat usum esse. Revera multa inveniuntur monachorum nomina quæ inveniuntur etiam apud copticos codices illaque hic enumerare prorsus operæ pretium est. Si frag-

menta igitur a Zoega edita cum Palladii opere contuleris in priori hujus operis parte undecim nomina invenies quæ apud *Apophthegmata Patrum* ac *Historiam lausiacam* leguntur nempe Horsiesi,[1] Hori,[2] Pambo,[3] Paesii,[4] Macarii Agyptii,[5] Marci,[6] Moysis,[7] Antonii,[8] Pauli simplicis[9] et Eliæ.[10] Plura quidem sine dubio essent hæc nomina, nisi major pars codicis a Zoega editi desideraretur; hæc tamen nomina, quamvis numero pauca, magni momenti esse mihi videntur, nam quæ a Palladio narrata eodem sunt genere ac quæ ab auctore coptico, et sæpe omnino eadem. Si, exempli gratia, quæ narrantur de Macario Ægyptio seu seniori perpenderis, eadem esse apud Palladium ac apud *Apophthegmata Patrum* atque Macarii *vitam* duplicem nunc etiam Vaticana in bibliotheca asservatam ac a me Romæ transcriptam persuasum habebis. Sunt quidem et multa alia quæ inter se conferri possunt; sed alias afferre queo rationes quæ Palladio haud ignota fuisse opera coptica demonstrant. Ante omnia nil apud Palladium quod ingenio ægyptio repugnet, invenitur : res etiam stupendæ ac mirabiles omnem supra modum apud copticos scriptores leguntur. Abbatis Amonis erga mulierem agendi ratio[11] apud cynaxarium invenitur : idem dicendum de Pambonis ad Melaniam responsione quam in fragmentis huic dissertatione adjunctis invenies. Nathanaëlis historia[12] ac institutum nunquam e cella egrediendi[13] de aliis monachis narrantur, haud secus ac Moysis furis historia Paulique simplicis vita apud Cynaxarium.[14] De monacho etiam qui

1. Zoeg. *op. cit.*, p. 204 operis coptici n° CLXX. — 2. *Ibid.* p. 192 et 202. — 3. *Ibid.* p. 202 et 289. — 4. *Ibid.* p. 16. — 5. *Ibid.* p. 197, 270, 242 etc. — 6. *Ibid.* p. 244. — 7. *Ibid.* p. 249. — 8. *Ibid.* p. 209, 245, 279 etc. — 9. *Ibid.* p. 245 et 274. — 10. *Ibid.* p. 314 et 368. — 11. *Hist. laus.* VIII. — 12. *Ibid.* XVIII. — 13. *Ibid.* XVIII. — 14. Cf. mss. arabes de la Bibliothèque nationale.

virilia novacula amputat narratur persæpe apud coptica opera Sinuthiique in hujusmodi monachos agendi rationem in illius operibus legere quivis potest copticæ linguæ peritus. Cujusdam monachi libidine narrata, sic suam sententiam aperit Palladius : «Hæc autem narravi ne videatur nobis alienum quando viderimus aliquos sanctos incidisse in tales calamitates.»[1] Iisdem fere verbis legitur in Pisentii, urbis Keft (seu Coptos) episcopi vita : « Si quis audiens me interrogare velit, dicens : Quomodo servi Christi ægrotant? huic liber justi Job legendus est. »[2] Nil igitur distant. Cæterum multa etiam sunt quæ hic enuntiare longum est, quod si vellem, et ultra modum dissertatio mea amplificanda esset ac memoranda quædam quæ apud monachos hodierni temporis ipse ego vidi adhuc vigentia. Sunt enim quædam Palladii verba ingenium pure ægyptium ita redolentia, ut nusquam nisi in Ægypto intelligi queant. Ex alia parte sunt quædam sententiarum conformationes quæ omnino copticum sermonem detegunt ac vere e coptica lingua in græcam translatæ sunt. Sic, ut exempla offeram, sæpe narratio his verbis incepit : Narravit mihi quidam frater, etc., ut in copticis libris.[3] Verba : « nobis pedes tuos attingentibus,»[4] ad verbum e coptico sermone translata sunt; sic etiam hæc : «Nolo occidere camelum neque ei dolium imponere ut moriatur.»[5] Nunquam eo modo locutus esset græcus auctor; coptici vero semper scriptores quum actus actui succedit posteriorem in priore loco enuntiant nec dicunt : Iter feci ut viderem; sed : vidi et iter feci; nec : cubitum ivi; sed : cubui et ivi. Et multa hujusmodi.

1. *Hist. laus.* XXX. — 2. Cod. cop. vat. LXIII. Coptice ⲁⲣⲉϣⲁⲛ ⲟⲩⲁⲓ ⲇⲉ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲁⲕⲣⲟⲁⲧⲏⲥ ⲟⲩⲱϣ ⲉϧⲟⲧϧⲉⲧ ϫⲉ ⲡⲱⲥ ⲥⲉϣⲱⲛⲓ ⲛϫⲉ ⲛⲓⲉⲃⲓⲁⲓⲕ ⲛⲧⲉ ⲡⲭ̅ⲥ̅ ⲙⲁⲣⲉ ⲫⲁⲓ ⲙⲡⲁⲓⲣⲏϯ ⲱϣ ϧⲉⲛ ⲡⲓϫⲱⲙ ⲛⲓⲱⲃ ⲛⲇⲓⲕⲉⲟⲥ. — 3. Coptice ⲁϥϫⲟⲥ ⲛϫⲉ ⲟⲩⲥⲟⲛ. — 4. *Hist. laus.* XV et XVI. — 5. *Hist. laus.* VIII.

Denique apud coptica fragmenta Bibliothecæ vaticanæ quædam ad *Historiam lausiacam* pertinentia, si Zoegæ fidem adhibueris inveniuntur.[1] Hæc fragmenta tria sunt numero ac Palladii ad Lausium præpositum epistolam ac de abbatibus Pambo et Evagrio narrationes continent. Ad calcem hujus dissertationis textum ac translationem hujus epistolæ narrationumque transcribam : hic tantummodo quæ de abbate Pamo apud Palladium ac fragmenta coptica inter se conferre operæ pretium erit. Hæc Palladius : «Hujus monti accola fuit etiam abbas Pambo, qui fuit magister Dioscuri episcopi Ammonii et Eusebii et Euthymii fratrum, et Origenis filii fratris Dracontii viri illustris et admirabilis. Hic Pambo multa quidem habebat et varia privilegia : inter cætera autem quæ recte et ex virtute ab eo gerebantur, hoc habebat quo erat reliquis superior, quod scilicet aurum et argentum despiciebat, quantum postulat ratio dominica. Unde mihi narravit beata Melania quod cum ab initio Roma venisset Alexandriam et de ejus virtute audiisset a beato Isidoro presbytero et xenodocho, qui de eo mihi narravit, et ad ipsum deduxit in solitudinem. Ad eum, aiebat, attuli vasa argentea trecentarum librarum argenti, rogans eum ut rerum mearum esset particeps. Ille autem, inquit, operans, et ramos texens mihi benedixit, voce magna dicens : Deus det tibi mercedem. Et dixit suo œconomo Origeni (*al.* Theodoro) : Accipe et ea dispensa universæ fraternitati quæ est in Lybia et in insulis. Hæc enim monasteria magis indigent; ei præcipiens ut ex eo nihil daret iis qui erant in Ægypto, propterea quod sit regio ditior et abundantior. Ego autem, inquit, stans exspectabam ut vel benedictionibus ab eo honorarer, vel verbo saltem laudarer ob tantum donum. Cum vero nihil omnino ab eo audiissem,

1. Zoega, *op. cit.*, p. 129.

ei dixi : Domine, ut scias quantum sit, sunt trecentæ libræ argenti. Is autem rursus cum ad hoc ne omnino quidem annuisset et nec ad vasis quidem thecam attendisset respondit : « Is cui hæc attulisti, o filia, non opus habet ut a te discat quantitatem ponderis. Qui enim montes appendit et saltus statera,[1] multo magis scit quantitatem tui argenti. Si enim hæc mihi dares, recte mihi pondus dixisses; sed si Deo ea obtulisti, qui ne duos quidem obolos despexit, sed eos plus quam omnia æstimavit,[2] tace.» Sic ergo, inquit, dispensavit gratia Domini, dum ingressa sum in hunc montem. Brevi autem post tempore dormiit homo Dei, nec ægrotans, nec in ulla parte corporis dolorem sentiens, sed sportam contexens me accersiit, et cum adesset jam extremus stimulus *(sic)*, dicit mihi : « Cape hanc sportam a meis manibus, ut mei memineris. Nihil enim habeo aliud quod tibi relinquam. » Et cum hoc dixisset, excedit sine febre, cum esset annorum septuaginta, Domino commendans spiritum. Quem cum ego curassem et linteis sancti corpus involvissem et deposuissem, recedi a solitudine, usque ad diem mortis habens mecum illam sportam. Hic Pambo cum esset moriturus, in ipsa hora excessus, eum circumstantibus Origene presbytero et œconomo et Ammonio viris inclytis, et reliquis fratribus, dicitur hoc dixisse : Ex quo veni in hunc locum solitudinis et meam ædificavi cellam et hic habitavi, nullus fuit dies quo non aliquid operis fecerim meis manibus : nec memini me ab aliquo panem gratis comedisse; nec me in hanc horam pœnitet alicujus sermonis quem dixerim; et sic ad Deum recedo ut qui nec pius quidem ac religiosus esse cœperim. Hoc quoque ferebant de eo testimonium Christi servi Origenes et Ammonius, quod nunquam de re aliqua inter-

1. *Isai.* XL, 12. — 2. *Marc.* XII, 42.

rogatus, quæ vel ad scripturam, vel ad actionem negotiumve aliquod pertineret, statim responderet, dicens : Nondum comprehendi. Tam considerate quidem ex Deo dabat responsa, ut a Deo cum omni metu omnes acciperent. Dicebatur enim hanc virtutem etiam supra magnum Antonium, et super omnes sanctos exercuisse, nempe ut esset in loquendo accuratus et perfectus. Fertur autem præter alia hæc quoque actio sancti Pambon, quod Pior qui se in vita exercebat monastica, ad ejus cellam aliquando accedens, proprium panem detulit. Cum eum autem Pambon reprehendisset, dicens : Cur hoc fecisti? respondit Pior : Ne te gravarem. Itaque tacitus eum dimisit. Post aliquantum autem temporis accedens magnus Pambon ad cellam Pior, panem suum secum madefactum attulit. Ab eo autem rogatus quanam de causa panem attulisset madefactum, respondit Pambon : Ideo madefeci, ne ego quoque te gravarem.» [1]

Hæc Palladius de Pambone, seu potius de Pamo ut scripsere nomen Copti. Nunc vero quænam invenire sit de illo apud coptica fragmenta inquiramus. «Quidam visus est in monte *Pernoudj* quem apa Pamo vocabant. Hic abbati Antonio successit illumque vocant apa Pamo ἀλήθινον id est veridicum, de cujus virtutibus omnes bonum afferunt fratres testimonium. Illum ego meo tempore non inveni, sed mihi de illo narrarunt fratres hunc hominem nunquam mentitum esse, nec jusjurandum, nec maledictum ex illius ore processisse, nec ab illo ullum verbum prolatum esse, nisi necessarium. Illi mulier erat duoque filii qui monachi fieri noluerunt. Quum ad fratres venisset, senem adivit eique dixit : «Me psalmum doceas;» nam litterarum omnino rudis erat. Senex vero illum docere incepit hunc psalmum :

1. *Hist. laus.* X et XI.

Ego dixi : vias meas custodiam ne lingua mea peccatum admittam;[1]» et quum senex priora verba protulisset, illum coercuit dicens: «Mi pater, nisi primum versiculum didicerim, secundo non studebo.» Et quum in suam cellulam progressus esset apa Pamo, octo consumpsit annos ut verbum quod didicerat actibus efficeret, nam neminem adibat, dicens : Nisi prius linguam meam domuerim, nullum hominem adibo ne forte lingua mea cadam. Octo consumptis annis ad senem ex quo primum versiculum didicerat iter suscepit senexque illi dixit : Pamo, cur te non viderim hucusque? Num psalmum non didicisti? — Respondit Pamo: Quum primum versiculum non didicerim, ad te non sum regressus ut secundum addiscerem, nam hucusque non concedit mihi Deus illum discere, et ne te, pater, contemnere viderer ad te non veni; quum autem hunc primum didicero, ad te veniam rursus. Et quum in cellam abiisset decem alios annos consumpsit, nec illum adivit. Fuit igitur in hoc monte abbas Pamo qui abbatem Dioscorum docuit episcopum, nec non abbatem Ammonem, abbatem Joannem abbatis Dracontii episcopi in vico Hor nepotem. Hic igitur abba Pamo vir quidem erat qui admirationem moveret, nam illius virtutes ac instituta maxima sunt : hoc autem maxime mirandus fuit quod aurum argentumque despiceret, sicut scriptum est. Hæc mihi quondam de illo narravit beata Melania : Quum primum Alexandriam Roma ivissem mihi enarravit abbas Isidorus presbyter abbatis Pamo virtutes : ego vero illum meis precibus prosecuta sum ut mihi viam demonstraret ad desertum locumque quem incolebat abbas Pamo, ut illum viderem. Quum ad montem me duxisset, illum precata sum meque in illius abbatis locum deduxit. Quum ad illius pedes me obvolvissem illumque ado-

1. *Psalm.* XXXVIII, 1.

rassem, me sedere jussit ipseque sedebat manibus ramos palmæ contexens. Tunc illi vasa mea indixi illique vas argenteum dedi in quo trecentæ erant libræ argenti, illum deprecans ut facultatum mearum particeps fieret. Ille vero sedebat palmas contexens, operi manuum suarum intentus nec oculos ad me ut videret sustulit, sed mihi submissa voce[1] dixit: «Deus tibi benedicat secundum illa quæ passa es tuamque tibi mercedem in cœlis condonet!» Mihi dixit etiam: «Hoc vas in fenestra deponas». Theodorum tunc œconomum vocavit ac illi: «Hæc mulier, inquit, ista ad Dei servitium advexit: accipe igitur illa, abi, hæc eroga ac inter cellarum vel Lybiæ senes dispensa, interque fratres qui in cavernis vel in insulis vitam degunt, nam hæc monasteria ante omnia pauperrima sunt.» — Illi vero mandavit: «Ne hæc monasteriis Ægypti impertiaris; nam illa regio, inquit, rebus corporalibus magis quam hæc indiget.» — Ego vero, inquit Melania, stabam mecum hæc reputans ac dicens: «Forte mihi benedicet ac me laudabit!» nullum vero verbum ex illo audivi. Tunc illi dixi: «Mi pater, cupio, ut scias, te monere hic trecentas esse argenti libras.» Ille vero ne caput quidem sustulit, dum palmas intexeret, sed mihi firma voce: «Ille, inquit, cui hæc donasti illarum numerum cognoscit; non opus est ut illum hanc aliquis edoceat quantitatem: qui enim montes ac colles statera appendit non argenti quantitatem ignorat. Si mihi hæc dedisses, pulchre quidem me monuisses, nam ego homo sum; quum vero illa Deo dederis quodnam opus est ut me moneas? nam Deus qui viduæ duo minuta accepit etiam tuam oblationem accipiet: tu vero taceas, ne te glorieris.» Sic ergo Deus mihi mentis dedit tranquillitatem ac ab illo egressa sum. — Mihi et hæc dixit Melania: «Nihil humani

1. Palladius scripsit *magna voce*: textus copticus rectior.

apud illum vidi.» Tunc ex illo loco Scetense desertum adivit ecclesiamque abbati Isidoro presbytero ædificavit. Paucos vero post dies dormivit abba Pamo vir Dei, septuaginta natus annos, nemoque illum esse moriturum præsentiit nec ipse febri laboravit : sedebat vero sportam contexens. Quum vero spiritum extremum in eo esset ut ageret,[1] huc venit Melania ad illum rursus videndum. Illi dixit Pamo : « Hanc sportam ex manuum mearum laboribus confectam accipe ut mei recorderis; nam aliud nihil meum est quod tibi relinquam.» Extemplo spiritum in Dei manus reddidit; illa vero discipulos precata est ut corpus curare permitteretur : corpus igitur in linteaminibus mundis honestisque curavit, e deserto egressa est et in illius manibus usque ad diem supremum sporta remansit.

Nobis enarravit Isidorus Scetæ presbyter abbatis Pamo virtutes. Illum precatus sum ut mihi ad desertum in locum abbatis Pamo viam demonstraret utque illum ego viderem. Et hi sunt viri qui, illum mirantes, quum e corpore discessurus esset, apud illum stabant nempe abba Macarius presbyter, abbas Ammon, abbas Theodorus et alii multi ex fratribus electi; ac illi dixerunt : Pater, verbum dic nobis ut ex illo vivamus. Ac illis sic locutus est senex : Ex quo desertum hoc ingressus sum mihique cellam ædificavi ac in illa commoratus sum, me non recordor unius verbi quod dixerim sine utilitate pœnituisse; nam non locutus sum unquam, nisi prius meum verbum appendissem utrum mortis an vitæ esset, nec mihi conscius sum unquam panem manducavisse gratis, nisi ex manuum mearum laboribus. Nec in meum cor adduxi me vitam monasticam egisse, sed et nunc mundo egressurus non dico vobis me vitam egisse

1. Patet verbum *spiritum* pro verbo *stimulum* græce κεντήματος opportuniorem hic locum habere quam vox ab *Historia lausiaca* usurpata. Sed hæc vox scribæ menda fuit sine dubio.

Deo piam; mihi vero accusationem infero quod Dei voluntatem non sim consecutus. — Illi fratres dixerunt: «Pater, nonne tuos labores ac tua opera Dei existimas esse?» — Illis respondit : «Hucusque secundum meas vires enixus sum ut præcepta Dei implerem sed unde sciam quod mihi eveniet in hora qua Deum adibo : aliud est Dei judicium, aliud hominum. Illius est misericordia : si me benigne vult habere, mihi gratiam ac charitatem donabit; si vero vult mecum rationes conferre, non ante illum immunis ero. Nescio an ante illum veniam consequar.» — De illo hæc perhibuerunt abbas Ammon, abbas Theodorus et abbas Jacobus: «Si ille de Scriptura vel de quavis alia re interrogatus esset, non illico respondebat, sed inquiebat: «Antequam hujus verbi vim apprehendam, mihi duos dies vel tres permittite, ut de isto verbo mediter vobisque responsum afferam.» Duobus vel tribus diebus elapsis, vel etiam hebdomade integra, nequidem temere respondebat sed dicebat: «Nisi sciam utrum vitæ an mortis fructum producat hoc verbum, illud non proferam.» Quæ autem verba loquebatur, illa accipiebant fratres haud secus ac si ex ore Dei processissent. Illius discipulus Jacobus qui ad illius imaginem conformatus est omnemque agendi rationem suscepit, his exceptis quæ ad linguam pertinebant, testatus est quodam die ad illum venisse hispanicum quemdam hominem nomine Anatolium qui primum Albini romani notarius fuerat mundumque reliquerat quum crumenam auro implevisset in qua quatuor millia denariorum aureorum. Illam ad pedes abbatis Pamo deposuit sperans, inquit, se laudes ab illo accepturum vel admirationem ac divitiarum dispensationi præficiendum esse. Silens vero abbas Pamo manibus operabatur, nec ad illa animum attendit, nec ullum verbum protulit. Tunc Anatolius : «Mi pater, inquit, hæc ad pauperum ministerium attuli.» — Dixit senex : «Hoc equidem

scio, mi fili.» — Ille vero Anatolius : «Quantum sit in illis te scire cupio.» — Respondit senex : «Ille cui hæc donasti non necesse habet illorum quantitatem scire.» Et quum illa deposuisset, abiit Anatolius et sacerdotibus inquit : «Non ex illis quas attuli divitiis tam profecit anima mea quam ex hujus senis agendi ratione abstinentiaque, nam me habuit quasi tantum unum denarium illi obtulissem.» Abbas vero Pamo ex bonis operibus ac humilitatis magnitudine omnibus fratribus erat admirationi. De illo etiam narrant quodam die ab Athanasio abbate accersitum illum Alexandriam ingressum esse. Quum vero ingressus esset, mulierem vidit scenicis ludis addictam quæ magnifice ornata erat : extemplo lacrymas fuderunt illius oculi. Quum has vidissent fratres qui illum comitabantur illi dixerunt : «Pater, te deprecamur, nobis has lacrymas edissere quanam de causa defluant.» — Ille vero respondit : «Duobus causis commovear; primum, illius animæ quam nunc video perditione; secundum vero quia anima ingrata mea non hujus meretricis similitudinem ac ornatum sumpsit, nec virtutum ornatu se vestivit, nec Deo et angelis placere studuit.» De disciplo vero qui valde in pecunia fidelis fuit, illi revelatum est hunc maledictione Giezi, Elisæi discipuli, delectari. Tunc apa Pamo divitias quas attulerat Anatolius præfectus accepit illasque adolescenti cuidam tradidit, nomine Origeni, qui hucusque vixit et huic operæ quæ illi a sene data se impendit, nempe rerum dispensationi. Ille in Domino sibi sæpe congratulatus est, nobis dicens : «Nec ego, nec mei filii panem alienum comedisse conscii sumus : nihil nisi quod nostro labore comparaveramus, usi sumus.» Hoc etiam egit : nulli inter homines juniores aliquid ex dispensatione dedit, sed solummodo senibus pauperibus ac infirmis quibus panem sibi comparare haud possibile; monasterii vero sui hominibus nihil ex divitiis quæ apud illum

erant dedit; sed sibi decem homines elegit fideles quos quotannis in insulas et Lybiam mittebat et ad loca τῶν κελλάρων Alexandriæ qui naves granis ac pane onerarent ac illa indigentibus dispensarent nec non et regionis ecclesiis quæ his indigebant ac ecclesiis deserti interioris in barbarorum regione, ut illum nihil sui monasterii accolis dedisse intelligamus. Quæras ergo et scies illum fratribus qui Ægypti loca ac *Pernoudj* montem incolunt consuetudinem hanc attulisse, nempe constituisse ut quotannis unicuique homini artaba frumenti daretur quæ indigentibus dispensanda ad ξένον τῶν κελλάρων nec non et viduas orphanosque. Sic unusquisque inter monachos per totum annum artabam frumenti in eleemosynam ex sibi necessariis dare satagebat. Hæc consuetudo usque ad hoc tempus inter illos viget. Etiam hoc mirandum de nostro sancto patre abbate Pamo narrant, nempe ascetam apa Pihor, abbatis Antonii discipulum, ad illum quondam venire cupientem secum panem ac duos alios quos apud illum manducaret, attulisse. Illi dixit abba Pamo : «Quæ sunt hæc, Pihor?» — Illi apa Pihor : «Per unum diem, inquit, apud te manere constitui ac hæc pauca necessaria mecum attuli.» Senex vero in mente sua se intellexit Pihor se voto obstrinxisse ne panem alienum comederet. Post aliquantum vero temporis, illum docere cupiens ne quum apud seniores iret voluntatem propriam exsequeretur, surrexit Pamo et ad apa Pihor processit; ante vero quam illum adiisset, panem suum madefecit duasque aquæ hydrias secum portavit. Illi dixit apa Pihor : «Quæ sunt hæc, Pamo?» — Respondit Pamo : «Ecce mecum panem meum et aquam adsportavi; ne tibi laborem inferrem, panem meum madefeci, antequam ad te venirem.» Hæc fecit apa Pamo ut illum tacitus doceret.[1] »

1. Cf. ad calcem secundi fragmenti textum.

Hæc apud coptica bibliothecæ vaticanæ fragmenta. Patebit has duas de Pamo narrationes multum inter se discrepare, multa apud Palladium deesse quæ in fragmentis copticis inveniuntur, atque unam de Melaniæ dono narrationem iisdem fere verbis apud utrumque referri. Quæ dissimilitudo unde veniat haud facile discernitur. Mihi quidem libet dicere Palladii opus ab auctore fragmentorum vaticanorum translatum esse, sed etiam hunc auctorem alio opere usum esse quo ipse antea usus sit Palladius. Huic sententiæ fidem facit quod quædam obscura apud Palladium clariora apud copticum sunt. Præterea animadvertendum est apud Palladium œconomum primo Theodorum ex quibusdam codicibus nominari, ex aliis vero Origenem, nec facile videtur intellectu quomodo hujus nominis pro alio usurpatio acciderit; ex copticis autem fragmentis facile intelligitur, nam duæ sunt ejusdem modi narrationes, altera de Melania, altera de Anatolio: quarum in priore œconomus Theodorus appellatur, in posteriore Origenes; inde nominum confusio ac transpositio. Inde etiam colligere liquet sive Palladium opera quibus utebatur in breve coegisse, et ne ingeniose quidem, quum multa adjuncta reliquerit quæ mores monachorum illustrabant, sive illius opus ad nos mancum et truncum pervenisse. Sic igitur ad nos Palladii opus integrum non pervenisse fatendum est, multaque ex tempore aut scribarum imperitia perdita.

Sed ut *Historiam lausiacam* in quibusdam partibus truncatam fuisse haud incredibile est, ita, illam auctam esse in aliis constat. Etenim e priore parte colligere licet hanc Palladii operis partem interpolatam fuisse. Alexandra enim virgo, de qua agitur capite quinto, Melaniæ de vitæ instituto interroganti respondet: « A mane usque ad horam nonam oro, per horam nens linum; reliquis autem horis revolvo vitam sanctorum Patrum et Patriarcharum et certamina beatorum apostolorum et prophetarum et martyrum. » Quod

si fidem Palladio adhibueris, huic Melaniæ ita interroganti sic Alexandram respondisse anno circiter post Christum natum 392, persuasum habebis, quo anno Melania Ægyptum peragraverit moribundusque fuerit Athanasius archiepiscopus ac patriarcha. Atqui hoc quidem tempore de martyribus narrationes ac apocryphas fabulas jam ægyptii scripserant auctores; nondum vero Patrum ac monachorum præsertimque alexandrinorum Patriarcharum vitas, nisi forte excipis Petrum archiepiscopum, martyrum ultimum.[1] In sequenti capite auctor, «ex scriptura, inquit, esse extra controversiam fraude diabolum et prætextu amoris in cognatos efficere ut nascatur avaritia», sententiamque suam sic confirmat : «Sed tibi videatur nonnullis curam cognatorum inserere, non hoc facit quod illis bene velit, sed ut eorum qui ei parent animam aperte exerceat ad injustitiam cum ipse sciat totam sententiam quæ dicit : Injusti regnum Dei non possidebunt.[2] Potest autem aliquis, et spiritali motus intelligentia, et divino desiderio, neque suam negligere animam, et cognatis opem ferre, si quid eis defuerit. Quando autem quis ita totam suam instituit animam, ut ea despiciatur et obruatur pro cura cognatorum, is incidit in legem, ut qui suam pro vano æstimet animam. Canit autem David quoque sacer psalmographus de iis qui animæ curam gerant, in timore Dei dicens : «Quis ascendet in montem Domini! pro eo quod est, rarus. Aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde qui non accepit in vano animam suam.[3] Illi enim animam suam in vano accipiunt, qui existimant eam dissolvi una cum hac caruncula, qui virtutes spiritales negligunt.»[4] Hæ sententiæ flaccidæ, ad rem non pertinentes ac

1. Forsan aliquis hoc de patriarchis veteris Testamenti intelligere posset, sed eorum vitas nescio ac ex contextu de archiepiscopis loqui videtur auctor. — 2. I *Cor.* VI. — 3. *Psalm.* XVIII. — 4. *Hist. laus.* VI.

nullam vim argumentandi præbentes mihi a Palladii opere alienæ videntur, nusquam enim talis argumentatio per opus invenitur; nam si Johannes Lycopolitanus orationem quamdam adstantibus monachis habet, sententiæ ad rem pertinent postularique videntur; in hac vero operis parte nec postulantur, nec rem probant, nec ad rem pertinent. Existimo autem Palladium tantum forsan hæc verba scripsisse : *E Scriptura est extra controversiam,* scribamque monachum suam Scripturæ scientiam manifestare cupientem hujuscemodi argumenta ex Scriptura congessisse.

Denique ut de hac Palladii operis priore parte sententiam meam proferam, Palladium vere Ægyptum et Nitrium montem adiisse, ex his quæ narrat quibusdam interfuisse, alia audivisse, alia legisse censeo. Certe opera coptica quæ in Scythiaca regione erant vidit, legit ac breviter complexus est. Ex his operibus nunc quædam exstant brevique in lucem prodibunt; alia nobis invisit fatum; sed ex his quæ exstant inferri potest etiam alia satis fideliter contracta fuisse. Quæ vidit Palladius pro suo ingenio narravit; ingenium vero illius quum sit credulum et ad mirabilia propensum, sæpe incredibilia absurdaque narravit. Quæ vero audivit vel legit, illa non alius momenti sunt atque opera ipsa de quibus sumpta sunt. De illorum autem operum pondere hic fuse non sum disserturus; quodnam enim sit hoc pondus aliis in operibus pro meis viribus ostendere sategi, et in altera hujusce dissertationis parte breviter ostendam : hic dicere satis habeo illa opera sæpissime rebus ipsis ac veritate niti, sed rebus semper ac veritati multa adjuncta fuisse quibus nemo fidem adhibere potest nisi omnia rationis ac intelligentiæ jura abnuit. Necessario igitur est habenda maxima cura si quis monachorum historiam scribendam ceperit sive ex operibus copticis, sive ex *Historiæ lausiacæ* hac priore parte; attamen utilissimum erit

hoc opus Paladii, nam multa ex copticis scriptis deperdita desiderantur quæ apud Palladium inveniuntur, præter ea quæ vidit solusque narravit.

Nunc Ægypto inferiore ac Nitriis montibus relictis, ad Thebaïden convertamur ac celeberrimum Nilum, adverso flumine usque ad primam cataracten, cymba superemus.

Caput II.

De Palladii operis parte quæ ad Ægyptum superiorem attinet.

Hæc pars Palladii operis posterior fere per omnia cum *Historia monachorum* a Rufino scripta ad verbum consentit. In priore enim parte quædam tantum ab utroque, in posteriore autem omnia de iisdem monachis narrantur si quædam Palladio propria vel pauca de Pachomio ejusque cœnobitis dempseris capitula.

Ipse nos docet Palladius se Thebaïdis regionem peragravisse et usque ad Syenem Nilum navigasse; attamen pauca tantummodo de monachis qui inter Lycopolim et Syenem vitam egerunt refert, quamvis hæc regio illius temporibus monachis plena fuit. Paucis enim rebus quæ de Pachomio cœnobitisque scripsit omissis, nihil de Thebaïdos proprie dictæ monachis invenitur, sive anachoretis, sive cœnobitis. Regionem vero quæ a Lycopoli in Nitrium montem descendit maxime quidem et optime describit, quam etiam Thebaïdem vocat ille, rectius vero mediam Ægyptum nominare debuit. Neque tamen mirandum est, quum, ut supra dixi, sæpissime in duas tantum partes Ægýptus distribui soleat, nempe inferiorem ac superiorem.

Sed in Palladii capitibus quæ hanc posteriorem partem efficiunt, quinque sunt tantum de monachis qui regionem ultra Lycopolim incoluere capita, e quibus quatuor de

Pachomio ejusque monasteriis. Tabennesiotas quoque cœnobitas Palladium invisisse ex dictis suis colligere licet, et illa quæ de Pachomio, capite tricesimo octavo, memorat, fere ad verbum e Pachomii vita coptice scripta translata sunt.[1] Item cœnobitarum monasterium apud Panopolim fuisse commemorat, in quod ingressum se esse dicit,[2] et hæc omnia recte. Revera enim Pachomius Tabennîsi vitam cœnobiticam instituit monasteriaque octo per Thebaïdem ædificavit, inter quæ Panopoleos monasterium. Sed Palladii dicta omnes in errorem induxerunt, quum ex ejus verbis Tabennense monasterium idem esse crediderunt atque «primum ac magnum monasterium in quo habitavit beatus Pachomius, quod alia peperit monasteria, continens numerum circiter quadringentorum virorum»;[3] sed illud primum ac magnum monasterium non Tabennîsi, sed in loco qui a Coptis *Phbôou* olim dictus, nunc ab Arabibus *Fau* appellatur, situm est. Eodem modo, ex illius capite quadragesimo virginem illam de qua falsum fuerat dictum testimonium Panopoleos incoluisse monasterio credideris; illud autem feminarum monasterium de quo Palladius loquitur Tabennîsi exstructum fuerat.[4] Unde inferri posse mihi videtur Palladium quas refert res a Tabennesiotis monachis partim verbo accepisse, partim in illorum libris legisse, sed in quibusdam rebus quæ ut se habuerint nos etiam nunc docent opera coptica, memoria eum falsum esse. Sed omnibus rebus bene consideratis fere nihil de Tabennesiotis cœnobitis novisse Palladium persuasum habebimus, neque plura de alteris monachis vel notissimis qui a Lycopoli usque ad Syenem vitam, et quidem clarissimam, agebant. Hæc vero ignorantia illi crimini verti nequit, nam

1. Hæc vita Pachomii in *Cod. Copt. Vat.* 63 continetur. Cf. Zoëga, op. cit. p. 71. — 2. *Hist. laus.* XXXIX. — 3. *Ibid.* XXXVIII. — 4. *Vita Pachom.* Hæc vita brevi in lucem prodibit, nam jam typis mandata est.

ex his monachis qui notissimi postea evaserunt adhuc viventes neque notitiam neque famam tum erant adepti. Quum enim Palladius intra annos 388 et 397 Ægyptum superiorem peragraret, Sinuthius sexagesimum annum agebat; Pachomius vero jam triginta annis antea vita excesserat. Parvi igitur momenti sunt hæc quinque Palladii capita ad monachorum Ægypti superioris enarrandam historiam, et fere omnia in his capitibus ex operibus copticis sumpsit Palladius. Longe vero aliter dicendum est de cæteris.

Sed ex hujus secundæ partis verbis, Palladium iter quoddam ex Ægypto superiore ad Nitrios montes describere ac per iter visa narrare patet. Pars autem quæ iter a Lycopoli incipiens exponit multo majoris pretii est quam illa quæ iter a Syene ad Lycopolim narrare putatur. Idcirco de illa fusius et exquisitius disserendum mihi videtur neque dubito quin operæ pretium sit illam cum Rufini narrationis parte congruenti comparare.

Ut vero hæc comparatio optime instituatur, quinam sint monachi vel eremitæ a Rufino vel Palladio quæsiti et quo ordine illos inviserint inquirere et ex dictorum collatione illustrare necesse mihi videtur utri sit potius fides adhibenda, Rufino an Palladio, presbytero an episcopo. Uterque quidem auctor ex urbe Lycopoli et Johanne Lycopolitano narrationis exordium faciunt paulatimque ad Ægyptum inferiorem descendentes Nitriam remeant.

Ac principio quidem Rufinus : «Primum igitur, inquit, tanquam vere fundamentum nostri operis ad exemplum bonorum omnium sumamus Joannem : . . . . . Hunc etiam vidimus in Thebaïdis partibus, in eremo quæ adjacet civitati Lyco, in rupe quadam montis ardui commanentem.»[1] Post hunc Johannem qui adeuntibus per fenestram se videndum

1. *Hist. monach.* I, loc. cit., col. 391.

præbebat, Rufinus vidit «et alium apud Thebaïdem venerabilem virum, Hor nomine qui multorum monasteriorum erat pater» et «in adjacentibus habitationis suæ locis diversi generis arborum sylvas (quas) ipse per se plantaria ponendo conseruit, in quibus ut nobis a plurimis sanctis patribus affirmatum est ante illius adventum nullum omnino virgultum fuit.»[1] Tertio loco se ait vidisse «in Thebaïde etiam alium virum nomine Ammon patrem trium millium circiter monachorum qui Tabennensii appellantur.»[2] Quem Ammonem monasterium *Shmoun* incoluisse coptici libri affirmant, neque enim ullum aliud erat in hac regione cœnobitarum monasterium. «Postea vidimus, inquit, et alium senem mansuetudine omnes homines præcellentem, Renum nomine.» Hic hippopotamum et crocodilum totam regionem vastantes verbo fugaverat.[3] Quum vero hunc mansuetum Renum reliquerint viatores septem,[4] vènerunt «ad civitatem quamdam Thebaïdis, Oxyrrinchum nomine» in qua tanta religionis se invenisse ait ut nemo mortalis dignus existimari posset qui ea narraret. Hac urbe peragrata, ubi «nec portæ ipsæ, ait, nec turres civitatis aut ullus omnino angulus ejus monachorum habitationibus vacabat» et in qua «nullus inveniebatur hæreticus, aut paganus, sed omnes cives christiani, omnes catholici, ut nihil omnino differret si Episcopus in platea orationem aut in Ecclesia faceret»[5] inviserunt «et alium non longe ab urbe ad eam partem quæ mittit ad eremum, nomine Theonem»;[6] sed quænam sit hæc urbs juxta quam Theon intra cellulam suam clausus perhibetur triginta annos silentium sibi imperasse auctor non aperit. Quum vero superiore capite de Oxyrrincha civitate disseruerit quæ fuerit inferre possumus; et quidem

1. *Hist. monach.* II, col. 405. — 2. *Ibid.* III. — 3. *Ibid.* IV. — 4. *Ibid.* I, col. 394. — 5. *Ibid.* V, col. 409. — *Ibid.* VI.

capitum operisque dispositione bene considerata illum Theonem juxta Oxyrrinchum vitam solitariam degisse manifestum videtur. At nostra inductio nescio an falsa sit, quoniam hunc etiam Theonem vel Theonam memorat ipse Palladius, omissa Oxyrrincho civitate.

Sed Rufinus Theonis illius mentione habita : «Vidimus, inquit, et alium sanctum virum nomine Apollonium apud Thebaïdam, in finibus Hermopolis, ad quam civitatem Salvatorem cum Maria et Josepho de Judææ finibus venisse tradunt.» [1] Digressi a beato Apollonio viatores processerunt ad deserti partem quæ ad Meridiem spectat et a fratribus deducti ad cellam pervenerunt quamdam qua vir sanctus, nomine Ammon utebatur, per quem plurimas virtutes fecit Dominus et de quo multa mirabilia narrantur. [2] Deinceps in eadem eremo, ut videtur, presbyterum quemdam invisunt, nomine Coprèn, annos circiter octoginta natum qui in viatorum conspectu nonnulla effecit miracula. [3] Ille multa de Patremuti, syro abbate, Isaia, Paulo, Anuph fuse enarrat, [4] necnon et de Heleno quodam. [5] Postquam autem viatores, ut dicitur, *ædificavit* atque, illis in hortulum suum introductis arbores palmas atque alias pomiferas quas ipse plantaverat, ostendit, illis valedixit. [6] Relicta vero hac eremo in Hermopoleos finibus invisunt «et alium senem venerabilem, Eliam nomine, in finibus civitatis Antinoo (quæ est metropolis Thebaïdis) centum fere jam et decem (ut dicebatur) annorum.» [7] Deinde e Thebaïde ad Nitriam redeuntes vident «montem quemdam præruptum fluvio imminentem elatione minacis saxi, aspectu etiam terribilem, in quo erant per ipsa præcipitia speluncæ difficilis adscensus : in his monachorum plurimi commanebant, quorum pater erat nomine Pithyrior.» [8] Accidit quidem per incommode quod

1. *Hist. monach.* VII. — 2. *Ibid.* VIII. — 3. *Ibid.* IX. — 4. *Ibid.* X. — 5. *Ibid.* XI. — 6. *Ibid.* XI. — 7. *Ibid.* XII. — 8. *Ibid.* XIII.

Rufinus hujus montis nomen suo operi non inseruit, sed illius descriptio tam est accurata ut quicumque Ægyptum peragraverit facile montem recognoscat quippe qui nunc etiam præruptus et fluvio imminens speluncis lateri appositis semper a monachis incolitur; nostris autem temporibus *Gebel el Ataka* hunc montem vocant.[1]

Sed viatores nostri, postquam secundo flumine devecti hunc montem præteriere, viderunt viatores « alium sanctum Patrem, Eulogium nomine,»[2] adeuntque « et alium presbyterum in vicina regione nomine Apellen : virum justum » qui illis de fratre quodam in proxima eremo commorantem narrationem facit.[3] Postea vident « et monasterium sancti Paphnutii hominis Dei qui nominatissimus in his locis anachoretes et ultimus habitator fuerat deserti in regionibus Heracleos, splendidæ apud Thebaïdam urbis ».[4] Cujus monasterium haud procul a fluvio situm fuisse ex narratione apparet.[5] Deinceps inspiciunt « et apud Thebaïdem etiam Isidori nominatissimum monasterium amplissimis spatiis circumseptum muroque circumdatum in quo habitantibus viris larga præbebantur habitacula. Intrinsecus putei plures, horti irrigui, omnium quoque pomorum arborumque paradisi, et quæcumque necessaria usibus erant, sufficienter imo et abundanter provisa : ab hoc nulli monachorum habitantium intrinsecus necessitas ulla fieret exeundi foras ad aliquid requirendum.»[6] Præterea «in regione Arsenoïtæ, inquit Rufinus, Serapionem quemdam presbyterum vidimus multorum monasteriorum patrem, sub cujus cura plura et diversa monasteria quasi decem millium habebantur monachorum qui laboribus propriis quos præcipue

1. Cf. *Itinéraire descriptif, historique et archéologique de l'Orient* par le Dr Emile Isambert, 2e part. Égypte, p. 468. Paris 1882. — 2. *Hist. monach.* XIV. — 3. *Ibid.* XV. — 4. *Ibid.* XVI. — 5. *Ibid.* XVI. — 6. *Ibid.* XVII.

messis tempore, mercede manuum conquirebant, partem plurimam ad supradictum patrem conferentes in usus pauperum destinabant,[1] sicque indigentibus non hujus tantum re gionis sed et Alexandriæ opitulabantur.» Inveniuntur etiam in regionibus Mempheos Babylonisque innumeræ multitudines monachorum.[3] Post hæc quædam de Appolonio monacho et martyre tradita narrat Rufinus[3] postremumque memorat Dioscurum presbyterum quem in Thebaïde vidit habentem in suo monasterio centum fere monachos,[4] absolutoque itinere ad monachos in Nitria commorantes accedit.[5]

Ex his quid colligendum? Geographicam Ægypti descriptionem adeas persuasum habebis, ut jam supra dixi, Rufinum ita suum iter narrasse ut ab urbe quam ultimam Meridiem versus invisit, inciperet eoque modo vestigia relegisse donec Nitriam perveniret. Utrum vero semper urbes juxta ordinem geographicum disposuerit, an non, ex eadem descriptione judicabis, nam e Lycopoli discedens Oxyrrinchum memorat ante Hermopolim, quum Oxyrrinchus ad Septentrionem vergenti occurrat post Hermopolim Antinoique urbem. Cujus urbis mentione facta montis *Gebel el Ataka* quam apprime situm et naturam describit, antequam Heracleopolim Arsenoïtemque nomum, id est regionem quæ nunc dicitur *Fayoum*, seu notissimam illam regionem in qua Oxyrrinchus civitas indicit. Inde petit viator Memphim et Babylonem, postremoque, itinere confecto, Scythiacam regionem.

Sin autem eodem modo iter a Palladio confectum inquiris, illum eamdem viam omnino non percurrisse invenies. Palladius enim ipse quæ de Ægypto superiore scribit, si capita de quibus jam disserui dempseris, ab urbe Lycopoli

1. *Hist. monach.* XVIII. — 2. *Ibid.* XVIII. — 3. *Ibid.* XIX. — 4. *Ibid.* XX. — 5. *Ibid.* XXI.

incipiens. «Eramus, inquit, septem fratres peregrini omnes in solitudine Nitriæ, ego et beatus Evagrius, et Albinus, et Ammonius. Quærebamus autem scire accurate quænam esset hujus viri (nempe Johannis Lycopolitani) virtus. Dixit autem magnus Evagrius : Lubenter scirem ab aliquo qui norit examinare et mentem et orationem, cujusnam modi sit vir; si autem ego non potuero videre, ejus autem vitæ institutum accurate audire potuero alio narrante, discam ut eum conveniam; quod si non didicero non ibo usque ad montem. — Cum hoc audiissem et nemini quidquam dixissem, quievi unum diem, alio autem occlusi cellam et cum me et ipsam Deo commendassem, profectus sum usque ad Thebaïdem. Cum eo autem decem et octo dierum spatio pervenissem, partim quidem pedibus, partim vero navigando in flumine, (erat autem tempus ascensus in quo multi ægrotant, quod quoque mihi accidit); cum venissem autem inveni clausum ejus vestibulum.»[1] Ex his igitur verbis constat hoc iter absque comite confecisse Palladium. «Cum vero a sancto recessissem, inquit, venit in solitudinem in loco consueto, hæc omnia narrans beatis fratribus, qui post duos menses venerunt et sunt cum eo collocuti, iique hæc nobis narrarunt.»[2] Quæ quidem proxima verba Palladium iter rursus non confecisse demonstrant : idcirco quæ fusius narrat de Joanne, a fratribus audivit. Sed narrationem exorsus, haud secus ac Rufinus, incipit : «Vidimus autem, inquit, alium quoque virum in Thebaïde, nomine Ammonam, Patrem ter mille monachorum, quos etiam nominabat Tabennesiotas, qui habebant magnum vitæ agendæ institutum et qui et ovillas pelles ferrent et vultu tecto comederent et se deorsum inclinantes, ne quis proximum comedentem adspiceret.»[3] Post Ammonam invisunt

1. *Hist. laus.* XLIII, col. 1149. — 2. *Ibid.* XLIII, col. 1145. — 3. *Ibid.* XLVIII.

alium quoque senem nomine Re de quo eodem ac Rufinus commemorat;[1] et non procul a civitate in solitudine vident alium, nomine Theona, «virum sanctum in domuncula seorsum inclusum, qui tempore triginta annorum silentium exercuerat.»[2] Quum vero nondum Lycopoli recessisse videntur viatores, hæc civitas juxta quam Theonas vitam inclusus degebat, haud alia esse ac Lycopolis videtur : ex quo Rufini dictis lumen affertur.

Lycopoli autem relicta, Antinoi urbem adeunt viatores nostri, quæ est Thebaïdis urbs metropolis, et in solitudine huic urbi adjacente senem vident Eliam nomine, centum et decem annos natum;[3] in finibus vero Hermopoleos, in solitudine inveniunt «virum sanctum, nomine Apollo qui monasteria habebat super montem. Erat enim pater monachorum circiter quingentorum, qui erat valde clarus et celebratus in Thebaïde.»[4] Ab hoc claro viro tres accipiunt comites qui viatores ad fratres alios invisendos deducunt : quo in itinere magno invento dracone a fratre ad quoddam monasterium unum circiter milliare remotum se ipsos reficiendi causa ducuntur.[5] Hic vero frater mirabilia multa viatoribus memorat de Amun, Copre presbytero, Suri, Isaia, Paula, Anuph[6] et de quodam alio fratre qui abbas Hellen vocabatur.[7] In partibus superioris *regionis*, id est, ut reor, Thebaïdis, vident et alium presbyterum Apellen nomine[8] : si vero Rufinum adieris, hunc Apellen haud procul ab hoc immani monte quem descripsit aquileiensis presbyter commoratum esse invenies. Apelle autem, qui de Joanne alio quædam narravit, relicto, ad Paphnutii monasterium eunt «qui haud ita multo abhinc tempore consummatus est in regione quæ est circa Heracleotas Thebaïdis»,

1. *Hist. laus.* XLIX. — 2. *Ibid.* L. — 3. *Ibid.* LI. — 4. *Ibid.* LII. — 5. *Ibid.* LII *ad finem* col. 1162. — 6. *Ibid.* LIII, LIV, LV, LVI, LVII, LVIII. — 7. *Ibid.* LIX. — 8. *Ibid.* LX, LXI.

de quo multa fuse narrantur.[1] Postremo Apollonio viso, atque etiam Dioscuro, centum monachorum patre, ad Nitriam deveniunt.[2]

Quæ si perpenderis, a Palladio recte regionum ordinem descriptum esse, sed neque Oxyrrinchum civitatem, nec Arsenoitem nomum, nec monasteria regionis *Fayoum* nuncupatæ illi visa fuisse persuasum habebis. Quæ prætermissio unde veniat non facile videtur; sed antequam hanc difficultatem solvere possim, sunt quæ dicam de temporibus quibus Rufinus Palladiusque iter per Ægyptum confecisse verisimile sit.

Nemo igitur dubitare potest quin Rufinus Ægyptum inviserit atque in his regionibus commoratus sit. Omnes ecclesiastici scriptores qui de Rufino vel Melania scripserunt hoc iter commemorant fidesque Hieronymo Rufini inimicissimo fides haud abneganda est quum ad Rufinum ipsum scribit: «Audio te Ægypti secreta penetrare, monachorum invisere choros et cœlestem in terra circumire familiam»;[3] et rursus: «Rufinum Nitriæ esse et ad beatum perrexisse Macarium crebra commeantium multitudo referebat.»[4] Eodem modo a Rufino de monachis ægyptiis librum scriptum fuisse testatur verbis a *dilectione christiana* valde alienis: «Qui librum quoque scripsit quasi de monachis multosque in eo enumerat qui nunquam fuerunt et quos fuisse Origenistas et ab Episcopis damnatos esse non dubium est, Ammonium videlicet, et Eusebium, et Euthymium et ipsum Evagrium, Or quoque et Isidorum, et multos alios quos enumerare tædium est.»[5] Ac Palladius ipse nos docet Rufinum cum Melania, quum ingruente hieme anno 371, ex Ostiensi portu solvisset, incipiente anno 372 Alexandriam appulisse,

1. *Hist. laus.* LXII. — 2. *Ibid.* LXVI, LXVIII, LXIX. — 3. Hieronym. Ep. III. *Patr. lat.* Tom. XXI, col. 86. — 4. *Ibid.* col. 87. — 5. Hieronym. Ep. XLIII (ad. Ctesiph.). *Ibid.* col. 235.

Valente Augusto imperium tenente.[1] Ibi Melania «quum res suas vendidisset, ingressa est in montem Nitriæ sanctos Patres conveniens Pambo et Christi servum Arsisium, et Serapionem magnum et Paphnutium Sceteotem, et Isidorum Hermopolis episcopum et Dioscurum, et versata est apud eos circiter annum dimidium, obiens solitudinem et videns omnes sanctos.»[2] Quum vero Alexandriam appulisset Rufinus, quatuor vel quinque elapsis mensibus, ex urbe aufugere coactus est, nam, Athanasio archiepiscopo postridie kalendas Maias mortuo ejusque successore Petro a Lucio arianæ sectæ fugato, tota urbs fuga civium exsiliis, cædibus, tormentis, flammis turbata est, Theodoreto narrante.[3] Rufinus vero quum in Nitrium montem Alexandria aufugisset, monachis in deserto interfuit ipseque hoc testatur : «Per id tempus, inquit, patres monachorum vitæ et antiquitatis merito, Macarius, Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides et Pambus, Antonii discipuli per Ægyptum, et maxime in Nitriæ deserti partibus habebantur viri, qui consortium vitæ et actuum, non cum cæteris mortalibus, sed cum supremis Angelis habere credebantur. Quæ præsens vidi loquor et eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui.»[4] Et ut verbis ipsius Rufini hæc absolvam de illius per Ægyptum itinere, sunt et alia quædam hic inserenda verba : «Florebat igitur, inquit, Ægyptus ea tempestate non solum eruditis in Christiana philosophia viris, verum etiam his qui per vastam eremum commeantes signa et prodigia, apostolica simplicitate et cordis sinceritate faciebant : ex quibus interim quos ipsi vidimus et quorum benedici manibus meruimus, hi sunt Macarius de superiori eremo, alius Macarius de inferiori, Isidorus in Scyti, Pambus in cellulis, Moyses et Beniamin in Nitria,

1. *Hist. laus.* CXVII. — 2. *Ibid.* CXVII. — 3. Theodos. *Hist. eccl.*, lib. IV, cap. XXII. — 4. Ruf. *Hist. eccl.*, lib. II, cap. IV.

Scyrion et Elias et Paulus in Apetiote, alius in Focis, Pœmen et Joseph in Pispiri, qui appellabatur mons Antonii.»[1] Hæc quidem in *Historia ecclesiastica* Rufinus de monachis quos in Apologia tanquam præceptores suos commemorat,[2] ac dicit : «Ego qui sex annis Dei causa commoratus sum et iterum post intervallum aliquot aliis diebus.»[3] Quid multa? Rufinum octo annos in Ægypto consumpsisse constat per quos tota regione peragrata, videlicet et Hermopolim et montem Antonii vidit.

Sed antequam de Rufini opere amplius tractemus, ad Palladii iter parumper nos convertamus. Si igitur Palladio fides tribuenda, ipse prior a Nitria ad Lycopolim iter confecit Evagrioque de Joanne Lycopolitano quærenti quæ vidisset nuntiavit comitibusque suis ipsius Joannis videndi cupiditatem injecit. Quod iter quonam anno susceperit Palladius non dicit, tantum de æstivo quædam tempore commemorat, necnon de Nili ascensu et de morbo quo per iter laboraverit; quum vero rediisset, alii quidam viam iniverunt. Scimus aliunde et jam diximus Palladium usque ad Syenem Ægyptum peragravisse. An vero Rufinus tum Nitriæ tempus egerit quum Palladius Lycopolim adierit, haud difficile quidem indicari potest, nam ipse Helenopolis episcopus se Alexandriam appulisse Theodosio magno imperatore iterum consule, id est anno Christi 388; quum autem Rufinus Ægyptum non reversus sit postquam Theophili archiepiscopus creatus est, id est anno 385, duos auctores una simulque iter ægyptium conficere nequivisse colligere debemus.

Quæ omnia ut breviter complectar nullo modo in dubium adduci potest Rufinum Palladiumque reapse iter de quo uterque loquitur confecisse; verbis utique claris utuntur,

1. Ruf. *Hist. eccl.,* lib. II, cap. IV. — 2. Ruf. *Apol.* II, passim. — 3. *Ibid.,* cap. XII.

vidi, ivi etc., aliique auctores hoc iter omnes confirmant. Quæ quum ita sint, magna exsurgit difficultas, nam quicumque animum ad indagationem veri applicaverit, statim ab his duobus scriptoribus res easdem eisdem fere verbis, ab illo latine, ab hoc græce narrari perspiciet. Quibus rebus adnotatis facile in mente assurgit dubium statimque nascitur hæc cogitatio, vel posteriorem prioris opere, vel utrumque eodem ac prius vulgato opere, usum esse. Hanc duplicem sententiam illustrabimus exemplo.

Nam si quæ de Joanne Lycopolitano a Rufino Palladioque narrantur legeris, quædam et priora, apud utrumque invenies eadem et eodem ordine exposita, videlicet victorias ad mortem Theodosii imperatoris prædictas, victoriam in barbaros romano duci promissam, Joannis agendi rationem in militum tribunum illiusque uxorem, in mulieris quæ parturierat sponsum, in peregrinos qui illum conveniebant quotidie, necnon in senatoris cujusdam uxorem. Quibus pariter narratis, quæ sibi propria describunt Rufinus Palladiusque illorumque diversa est narratio; brevi vero ad eadem redeunt. Quæ res ut magis perspicua sit, mihi operæ pretium esse videtur, verba Rufini Palladiique inter se eadem pagina conferre.

Hæc apud Rufinum legimus:	Ea vero apud Palladium:
«Septem fuimus simul comitantes, qui ad eum venimus : cumque salutassemus eum, omnique nos lætitia excepisset, unumquemque nostrum gratifice alloquitur et rogatus est a nobis, ut orationem simul et benedictio-	«Cum ergo ab eo recessissem, veni in solitudinem in loco consueto, hæc omnia narrans beatis Patribus qui post duos menses venerunt et sunt cum eo collocuti, iique hæc nobis narrarunt. Cum ad eum venissemus,[1]

1. Supra legitur : eramus enim septem fratres peregrini omnes in solitudine Nitriæ. *Hist. laus. ibid,* col. 1143.

nem daret (hic enim mos est apud Ægyptum, ut ubi advenerint fratres, statim per orationem sibi invicem confœderentur). Interrogabat ergo si quis in nobis esset clericus? Et ut omnes negavimus, intellexit esse inter nos quemdam qui hujus erat ordinis, sed latere cupiebat; erat enim diaconus : et hoc præter unum solum, qui ei fidus erat, etiam ipsi itineris comites ignorabant. Visurus enim tales ac tantos viros humilitatis gratia celare voluit gradus sui honorem, ut inferior inveniretur in ordine his quibus se inferiorem meritis judicabat. Sanctus ergo Joannes ut eum vidit, et quidem cum esset adolescentior cæteris, digito ostendens eum : Hic, inquit, diaconus est. Et cum adhuc negare tentaret, apprehendens eum manu sua osculatur, et dixit: Noli, fili, negare gratiam Dei, ne incurras pro bono malum, pro humilitate mendacium. Cavendum namque est omnimodis mendacium sive pro malo, sive etiam pro bono

læto vultu nos excepit et salutavit, se hilarem unicuique ostendens. Rogabamus autem eum ut statim pro nobis perageret orationem, est enim hic mos Patribus qui sunt in Ægypto. Is autem nos interrogavit num inter nos esset clericus aliquis. Postquam autem omnes non esse diximus, nos omnes circumspiciens, agnovit eum qui erat occultus : erat autem unus ex nobis qui dignus fuerat habitus diaconatu, cum esset unus frater ejus rei conscius, cui etiam præcepit ut nemini diceret. Qui causa humilitatis, et in talium Patrum comparatione, vix se dignum censebat Christiani appellatione, tantum abest ut alicujus dignitatis. Manu ergo eum ostendens, dicebat omnibus : Hic est diaconus. Cum is autem assidue negaret et latere conaretur, e fenestra ejus manum apprehensam osculatus est, et admonens eum hortatus est, dicens : Ne irritam facias gratiam Dei, fili, ne mentiaris donum Dei in-

proferri videatur; quia omne mendacium non est a Deo, sed, sicut Salvator dicit, a malo est.[1] At ille his auditis acquievit, blandamque ejus correptionem æquanimiter tulit: et cum orationem Domino obtulissemus, post finem unus ex fratribus nostris tertiano typo gravissime vexabatur, et rogabat hominem Dei ut ab eo curaretur; qui ait ad eum: Rem tibi necessariam cupis abjicere; ut enim corpora nitro vel aliis hujusmodi lenimentis abluuntur a sordibus: ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibus purificantur. Et postea quam de his nobis per doctrinam mysticam disseruit, benedicens tamen oleum dedit ei, quo perunctus æger omnem continuo abundatiam fellis evomuit, et sanissimus redditus pedibus suis ad diversarium rediit! Post hæc jubet officia erga nos humanitatis atque hospitalitatis expleri, et corporis curam geri: et ficiens. Mendacium enim alienum est a Christianis, et sive sit in re magna, sive in parva, non est tamen laudabile, cum dicat Servator: Mendacium est a malo.[1] Is vero convictus tacuit, accipiens paternam ejus reprehensionem. Cum preces autem complevissemus, unus frater ex nobis, quem jam tertiana febris vehemens tenebat, rogabat ut curaretur. Cum autem dixisset frater ei conferre afflictionem propter exiguam quæ ei inest fidem, tradens tamen oleum jussit eum inungi. Cum is autem se unxisset, quidquid intus habebat per os emisit et a febre omnino liberatus, propriis pedibus recessit ad hospitium. Licebat autem videre hominem nonagenarium toto corpore ita afflictum, ut præ exercitatione ne barba quidem nota esset in facie. Nihil enim aliud comedebat quam arborum fructus, idque post solis occasum in summa senectute, cum se

1. I *Joh.* III, 8; *Joan.* VIII, 14.

ipse vero sui negligens, nostri sollicitus erat. Jam enim continuo usu et jugi consuetudine recipere cibum nisi in vespera poterat, et hunc exiguum: erat enim attenuatus, et aridi corporis, præ abstinentia : capilli ejus et barba quasi ex languore nimio rara et tenuis, utpote quam nullus sufficiens cibus enutriret, nec lætior aliquis humor infunderet. Observabat enim etiam tunc, cum jam nonagenariam, ut supra diximus, ageret ætatem, ut nullum per ignem paratum sumeret cibum. Igitur post hospitalitatis officia, regressus adsedere nos jubet, et tunc demum unde vel cur advenerimus inquirit, cum nos jam lætos et omni cum gaudio tanquam natos proprios suscepisset : cumque respondissemus quod de Jerosolymis ad eum utilitatis et profectus animæ nostræ causa venerimus, ut ea quæ olim ad auditum nostrum fama pertulerat, ipsi nunc oculis cerneremus (quoniam quidem tenacius solent inhærere prius multum exercuisset, et neque panem sumpsisset, neque aliquid ex iis quæ igni admota veniunt in usum. Cum ipse autem nos jussisset sedere, Deo egimus gratias quod ejus frueremur congressione. Is autem cum tanquam dilectos filios suos longo tempore accepisset, ridenti vultu hæc nobis est locutus : Undenam, o filii, et ex quanam regione ad hominem abjectum et humilem accessistis? Postquam autem diximus patriam, et adjecimus: Pro utilitate animarum nostrarum ad te venimus ab Jerusalem, ut quod auditione acceperamus, id cerneremus oculis; sunt enim aures minus fideles oculis; et auditionem sæpe consequitur oblivio, rei autem visæ non deletur memoria, sed menti quodammodo imprimitur historia. Ad nos ergo dixit beatus Joannes: Et quid mirandum visuri, o filii charissimi, tantum itineris et laboris tolerantes huc venistis, homines abjectos et humiles videre cupientes, qui nihil

memoriæ ea quæ oculus viderit, quam quæ auris audierit), tunc beatus Johannes vultu placidissimo, et quasi subridens, ex abundantia lætitiæ hoc modo respondit ad nos : «Miror, inquit, admodum, dulcissimi filii, laborem vos tanti itineris suscepisse, cum nihil ad hæc dignum in nobis videre possitis: homines enim sumus humiles, nihil habentes in nobis quod expeti debeat vel mirari. Et tamen etiamsi in nobis secundum opinionem vestram, numquid tale quale legitis in prophetis Dei et apostolis. Qui utique ab hoc in omnibus Dei ecclesiis recitantur, ut exemplo vitæ hominibus, non de longinquis et peregrinis locis quærantur, sed domi unusquisque et apud se habeat quid debeat imitari. Unde plurimum miror intentionem vestri laboris ac studii, quod profectus animæ vestræ causa tantas superare regiones, tantasque labores adire vohabent spectatu dignum nec admiratu? Ubique autem sunt admirandi et laude digni Dei prophetæ et apostoli qui leguntur in ecclesiis, quos oportet imitari. Valde autem miror, inquit, vestrum studium, quemadmodum tot contemptis periculis, ad nos venistis propter utilitatem, cum nos præ socordia ne ex ipsa quidem spelunca velimus progredi. Sed, age nunc, inquit, etiamsi res vestra sit laude digna, ne tanquam re aliqua præclare gesta, vobis sufficere putetis, sed imitemini virtutes, quas patres vestri persequuntur. Quod si etiam omnes possederitis, quod quidem est rarum, ne sic quidem vobis ipsis credideritis. Quidam enim qui sic confiderunt et ad ipsum virtutum fastigium pervenerunt, tandem ex alto ceciderunt.»[1]

1. *Hist. laus.*, loc. cit., col. 1145—1146.

luistis, cum nos eo usque pigritia desidiaque constringat, ut nec cellulas nostras progredi audeamus. Verumtamen quoniam putatis in nobis esse aliquid, ex quo proficere debeatis hoc primum vobis indicandum est, ut hoc ipsum quod venistis ad nos et tantum laborem videndi nos suscepistis, ne jactantiæ alicujus habeat prospectum, ut non tam proficere animi virtutem quam præferre se et jactare unusquisque vestrum velit, pro eo quod viderit eos qui apud alios ex auditu solo cogniti videantur.»[1]

Ex his quid colligendum? Primo res easdem fere iisdem verbis Rufinum Palladiumque narrare, apud unumquemque tamen inveniri quæ apud alterum desiderantur. Quum ex Rufino non comperimus quinam sint ii septem monachi qui viam susceperint; apud Palladium tamen, hi viatores narratoresque sui sunt contubernales, Palladius vero iter hoc non suscepit, quum jam primus ad Lycopolim progressus fuerit. De eodem igitur itinere apud utrumque agitur, et nisi forte mentis insanæ fuit Palladius hoc iter anno 395 quo Theodosius imperator diem supremum obiit effectum esse constat, quoniam viatores de imperatoris morte ipso die quo Alexandriam pervenerat nuntius, certiores facit.

1. *Hist. monach.*, loc. cit., col. 394—395.

Quum vero in Ægypto non remanserit Rufinus, elapso anno 385, illum inter septem comites non fuisse, proindeque illum itineris narrati auctorem non esse fatendum est. Cæterum quamvis apud utrumque eadem inveniantur, sunt tamen quædam res dissimilimæ : nam postquam hæc quæ supra transcripsi absolvit Rufinus, Joannem Lycopolitanum de jactantiæ vitio «de præcipua cordi et cogitationibus adhibenda diligentia, de his qui» hoc tantum student ut videant aliquem sanctorum Patrum et qui, ab his aliquot auditis verbis, continuo doctores videri cupiunt cæterosque spernunt, disserentem exhibet; quæ omnia apud Palladium desiderantur, ille enim præcepta tantummodo quædam, ut ita dicam, summatim tradit ad omnes spectantia; cætera vero apud utrumque haud discrepant.

Sed quod nunc de se ipso scripsit itineris narrator apud *Historiam monachorum* hæc ad Rufinum spectare non posse persuasum habebis. Jam illum in Ægypto anno 394 vel 395 degisse demonstravi. Præterea, ut notavit Vallarsi, «Qui ad eumdem sanctum virum Joannem Lycopolitanum accesserant septem numerabantur, quorum unus, cæteris adolescentior, erat dignitate diaconus, cæteri laici. Hic et diaconus adolescens quem præ modestia latere volentem sanctus Joannes detexit, ab eo qui loquitur in *Historia* mihi diversus non est. . . . . . Rufinus certe anno Domini 394 neque adolescens neque diaconus dici poterat, quem Epiphanius in epistola ad Joannem Hierosolymitanum hoc eodem anno Domini 394 scripta, non diu post Pascha, semel atque iterum presbyteri nomine appellat. Quod ad alios pios viros in *Historia* memoratos attinet, itinerum auctor duobus sociis stipatus beatum Appollonium ab se visum ait, annorum fere octoginta. Eumdem quinquaginta quinque annos natum dicit Juliano Augusto qui anno Domini 361 imperare cœpit periitque anno Domini 363. Quare itinerum

auctor Apollonium allocutus est circa annum Domini 388, Rufino procul in Palæstina morante. Idem itinerum auctor, capite XXIII, quo tempore Ammonium, Eusebium et Euthymium invisit, Dioscurum illorum fratrem Hermopoleos episcopum vocat. Atqui anno Domini 390 is nondum erat episcopus ex Tillemontio in Theophilum Alexandrinum,[1] adeo ut itinerum auctor ante hunc annum 390 Ammonium convenisse dicendus non sit. Idem porro Dioscurus anno Domini 394 erat episcopus; tunc enim die vicesimo nono septembris subscripsit concilio Constantinopolitano.[2] Rursus auctor capite XXVIII, de Evagrio tanquam de monacho tunc fama notissimo sermonem instituit : Evagrius tamen Ægyptiam solitudinem ante annum Domini 382 haudquaquam intravit obiitque anno Domini 399. Ait etiam auctor Evagrium pane penitus abstinuisse quem, teste Palladio ejus discipulo capite LXXXVI non comedit nisi post annum Domini 397. Denique de duobus Macariis loquitur capite XXVIII, sed ut de monachis ab se minime visis, utpote extinctis antequam ipse in Nitriam veniret. Prior obierat circa annum Domini 390, alter circa annum 395. Rufinus contra semel, iterum et tertium se utrumque Macarium novisse testatur, libro II in Hieronymum et in *Historia,* lib. II, cap. IV et VIII.»[3]

His omnibus acutissime perspectis, Rufinum *Historiæ monachorum* non auctorem esse pro certo habendum puto, quamvis, Hieronymo teste, de monachis ægyptiis librum quemdam scripsisse videtur. Quisnam vero sit hujus *Historiæ* auctor fuse disseruit Rosvoeydius in *Prolegomenis ad vitas Patrum* diversisque de sententiis disceptavit, atque iter Petronio cuidam Bononiensi, orationem vero Rufino

1. Cf. Tillemont, tom. XI, art. 3, p. 447. — 2. Labbe *Concil.*, tom. II, p. 1151. — 3. *Patr. lat.*, tom. XXI, col. 238.

attribuit. Istiusmodi autem conclusionem nulli arridere posse jam incipiam demonstrare.

Ex his enim quæ de Vallarsio excerpsi omnes monachos apud *Historiam lausiacam* et apud *Historiam monachorum* memoratos, non omnes eodem anno eodemque itinere invisos fuisse quum quædam narrentur quæ ad monachum istum laudatum ante certum tempus spectare nequeant, apparet. Sed Palladii verbis quæ supra transcripsi de itineris hujus initio perpensis omnique narratione continuo lecta, omnino non dubitabis quin hoc iter eodem anno sine intermissione a septem confectum sit, et, ut jam dixi, anno 395. Dictorum vero perscrutatio hujuscemodi narratum iter fieri non potuisse demonstrat, proinde nec confectum. Ex alia parte neque *Historiam monachorum* a Palladio integre transcriptam esse, neque *Historiam lausiacam* ab *Historiæ monachorum* auctore, dicere possumus, quum apud unumquemque inveniantur, ut dixi, quædam quæ apud alium desiderantur. Quid igitur concludendum? Ut mea quidem sententia refert, nec Palladium, nec *Historiæ monachorum* auctorem iter vere susceptum narravisse constat, sed in suo quemque opere sub itineris narrandi specie quædam de monachis, sive visa, sive audita, sive lectione cognita collegisse. Facile vero quæ uterque per se viderit dignoscuntur, pauca enim sunt apud Palladium in hac sui operis parte, nulla autem apud alterum auctorem. Quid autem de auditu nuntiaverint jam difficilius est intellectu; difficillimum autem, si non impossibile, mihi videtur hos auctores easdem res suæ memoriæ quasi tenaci modo adeo credidisse ut post multorum annorum intervallum uterque diversis in regionibus ac diversa lingua scribentes eadem iisdem verbis atque eodem fere ordine narravisse. Magis ad veri speciem mihi videretur appropinquasse qui utrumque eodem opere usum esse contenderet. Hoc opus etiam

coptice scriptum verisimile est, quamvis nullum ad hanc sententiam confirmandum argumentum affere possem; sed felicius mihi evenit quod inter libros copticos a me transscriptos istiusmodi quemdam librum inveni.

Tria sunt hujuscemodi opera quæ mihi licuit transcribere transferreque, e quibus unum publici juris feci. Ut autem aptius judicium lectioris ferre liceat, de hoc mihi disserere placet.

Quum anno 1883, mense Novembri, Romæ degerem, typis mihi contigit mandare[1] opusculum a Vaticanæ bibliothecæ codice depromptum, cui in catalogo hujus bibliothecæ titulus inscriptus fuerat *Vita Onuphrii*, atque in codice ipso *Vita Benoferi*. Quum ex hoc opusculo quædam quæ mihi arridebant gallice transferre statuissem, pauca tantum de Benofero narratione disseri inveni, sed plurima de aliis monachis vel anachoretis, auctoremque ut narrationi quamdam rationem inferret, itineris speciem delegisse. Quamobrem aliter meam translationem inscripsi, nempe : *Voyage d'un moine égyptien dans le désert.*

Sed me hanc narrationem copticam transferentem, quum Rosvveydii opus de *Vitis Patrum* in manibus non haberem, hujus narrationis magnam partem latine, et sine dubio græce, versam vitamque *Onuphrii* nuncupatam esse effugit.[2] Attamen quum recte operis coptici narrationem intellexissem, novus quem inscripseram titulus errori haud innitebatur ac reapse multa alia haud latine versa apud copticum opus inveniebantur. Ne autem me erroris insimulare liceat, hic hujus narrationis verba quædam transcribere libet, (non vero ex antiqua translatione quâ multa auctor vel auxit vel minuit), ac cætera breviter : «Fuit anachoreta quidam nomine Paphnutius. Quodam die Patribus Dei amantibus ea

1. *Recueil de trav. relat. à la phil. et à l'arch. égypt. et assyr.*, VI année, p. 166. — 2. *Patrol. lat.*, tom. LXXIII, col. 211—221.

locutus est verba atque illis dixit: Ego Paphnutius aliquando in mente mea consilium inivi ut interiora deserti intrarem atque utrumque Jesu Christi ibi quidam servus esset, an non, viderem. Quatuor diebus iter feci, nec manducavi, nec bibi. Die quarta speluncam adivi et, antequam in illam incederem, ex fratrum more ostium pulsavi ut frater exiret illumque mihi amplecti liceret. Quum vero usque ad mediam noctem pulsans perseverassem mihique nemo responsum dedisset, tunc intra me dixi: Forsan nullus est in hoc loco frater. Ingressus vero sum in hanc speluncam, alta voce, quum procederem, exclamans: Mihi benedic, frater. Quum ingressus essem et circa me omnia oculis perlustravissem, fratrem sedentem ac tacentem adspexi: statim manum meam admovi atque illius brachium comprehendi quod in pulverem in manu mea conversum est. Totum illius corpus palpavi illumque in hujuscemodi statu ex mortis tempore remansisse intellexi. Oculis circa me loca lustravi ac suspensam vidi pænulam quæ apprehensa in manibus meis cinis facta est: tunc surrexi stetique preces ejaculans, stolam quâ indutus eram apprehensam cadaveri circumdedi, terram fodi, corpus abscondi hincque discessi.

«In deserta loca iterum penetravi aliamque speluncam inveni. Quum ante speluncæ ingressum humana vestigia adspexissem ad os meum exsultavit cor ac paululum consedi. Tunc egressus sum ac dixi: Quonam tempore huc adveniet servus Dei? et ante januam remansi usque ad solis meridiem versus adscensum, super pedes meos steti ac diu memoriter preces effudi. Postea, quum sol occasurus esset, circumspexi et e longinquo bubalorum armentum vidi, inter quos incedebat frater. Quum appropinquasset, illum esse nudum animadverti: virilia capillis latebant tanquam vestitu. Quum ad me pervenisset, metu captus me phantasma esse credidit: gressus fixit ac precatus est, nam

sæpe, ut postea confessus est, hocce modo inimici insidias expertus erat. Quum illum perterritum animadvertissem, illi dixi: Ne timeas! Inspice, ego etiam caro sum et sanguis. Ille vero, manibus ad cœlum elevatis, evangelii orationem recitavit atque *amen* dixit. Illum hortatus sum ut me secum in speluncam introduceret; quumque me introduxisset: Quomodo, inquit, in hunc locum venisti? — Et respondi: Christi famulos qui sunt in deserto videre cupiebam Deusque querentem me non in errorem induxit. Tunc ego illum etiam interrogavi: Quomodo et tu huc advenisti, et quam pridem? cur nudus es ac nullis vestibus indutus? Quo cibo vesceris? — Tunc ad me sic loqui incepit: Ego monachus qui monasterium meridiem versus incolebam.»[1]

Anachoreti narrationem omittam breviterque dicam illum ut solus viveret ac suam artem in texendis palmæ ramis exerceret, e suo monasterio egressum, non post multum temporis multis stipatum fuisse discipulis inter quos quædam mulier quæ disciplinæ causa cum illo consuetudinem inivit. Brevi, ut ipse ait, iniquitatem conceperunt ac dolorem pepererunt. Tandem pœnitentia captus in desertum aufugit ubi per triginta annos se doloribus maximis ac morbis afflictum esse memoravit.

Sed hoc anachoreta, Timotheo nomine, relicto, Paphnutius labori non pepercit, sed ad montes regionis quam incolebant barbari progressus est. Primo per quatuor dies ambulavit secum aquam et panes portans: post diem autem quartum, aqua panibusque consumptis, se ad mortem accessisse credidit; sed brevi, animo collectus, per quatuor alios dies processit, fame ac siti laborans donec in *mortem se ingressum* putaret. Tunc angelus ad os illi spongiam quamdam admovit illumque ita refocillavit ut rursum quatuor

1. Cf. *Voyage d'un moine égypt. dans le désert*, loc. laud. p. 4—6 (du tirage à part).

attribuit. Istiusmodi autem conclusionem nulli arridere posse jam incipiam demonstrare.

Ex his enim quæ de Vallarsio excerpsi omnes monachos apud *Historiam lausiacam* et apud *Historiam monachorum* memoratos, non omnes eodem anno eodemque itinere invisos fuisse quum quædam narrentur quæ ad monachum istum laudatum ante certum tempus spectare nequeant, apparet. Sed Palladii verbis quæ supra transcripsi de itineris hujus initio perpensis omnique narratione continuo lecta, omnino non dubitabis quin hoc iter eodem anno sine intermissione a septem confectum sit, et, ut jam dixi, anno 395. Dictorum vero perscrutatio hujuscemodi narratum iter fieri non potuisse demonstrat, proinde nec confectum. Ex alia parte neque *Historiam monachorum* a Palladio integre transcriptam esse, neque *Historiam lausiacam* ab *Historiæ monachorum* auctore, dicere possumus, quum apud unumquemque inveniantur, ut dixi, quædam quæ apud alium desiderantur. Quid igitur concludendum? Ut mea quidem sententia refert, nec Palladium, nec *Historiæ monachorum* auctorem iter vere susceptum narravisse constat, sed in suo quemque opere sub itineris narrandi specie quædam de monachis, sive visa, sive audita, sive lectione cognita collegisse. Facile vero quæ uterque per se viderit dignoscuntur, pauca enim sunt apud Palladium in hac sui operis parte, nulla autem apud alterum auctorem. Quid autem de auditu nuntiaverint jam difficilius est intellectu; difficillimum autem, si non impossibile, mihi videtur hos auctores easdem res suæ memoriæ quasi tenaci modo adeo credidisse ut post multorum annorum intervallum uterque diversis in regionibus ac diversa lingua scribentes eadem iisdem verbis atque eodem fere ordine narravisse. Magis ad veri speciem mihi videretur appropinquasse qui utrumque eodem opere usum esse contenderet. Hoc opus etiam

coptice scriptum verisimile est, quamvis nullum ad hanc sententiam confirmandum argumentum affere possem; sed felicius mihi evenit quod inter libros copticos a me transscriptos istiusmodi quemdam librum inveni.

Tria sunt hujuscemodi opera quæ mihi licuit transcribere transferreque, e quibus unum publici juris feci. Ut autem aptius judicium lectoris ferre liceat, de hoc mihi disserere placet.

Quum anno 1883, mense Novembri, Romæ degerem, typis mihi contigit mandare[1] opusculum a Vaticanæ bibliothecæ codice depromptum, cui in catalogo hujus bibliothecæ titulus inscriptus fuerat *Vita Onuphrii,* atque in codice ipso *Vita Benoferi.* Quum ex hoc opusculo quædam quæ mihi arridebant gallice transferre statuissem, pauca tantum de Benofero narratione disseri inveni, sed plurima de aliis monachis vel anachoretis, auctoremque ut narrationi quamdam rationem inferret, itineris speciem delegisse. Quamobrem aliter meam translationem inscripsi, nempe : *Voyage d'un moine égyptien dans le désert.*

Sed me hanc narrationem copticam transferentem, quum Rosvveydii opus de *Vitis Patrum* in manibus non haberem, hujus narrationis magnam partem latine, et sine dubio græce, versam vitamque *Onuphrii* nuncupatam esse effugit.[2] Attamen quum recte operis coptici narrationem intellexissem, novus quem inscripseram titulus errori haud innitebatur ac reapse multa alia haud latine versa apud copticum opus inveniebantur. Ne autem me erroris insimulare liceat, hic hujus narrationis verba quædam transcribere libet, (non vero ex antiqua translatione quâ multa auctor vel auxit vel minuit), ac cætera breviter : «Fuit anachoreta quidam nomine Paphnutius. Quodam die Patribus Dei amantibus ea

1. *Recueil de trav. relat. à la phil. et à l'arch. égypt. et assyr.*, VI année, p. 166. — 2. *Patrol. lat.*, tom. LXXIII, col. 211—221.

locutus est verba atque illis dixit: Ego Paphnutius aliquando in mente mea consilium inivi ut interiora deserti intrarem atque utrumque Jesu Christi ibi quidam servus esset, annon, viderem. Quatuor diebus iter feci, nec manducavi, nec bibi. Die quarta speluncam adivi et, antequam in illam incederem, ex fratrum more ostium pulsavi ut frater exiret illumque mihi amplecti liceret. Quum vero usque ad mediam noctem pulsans perseverassem mihique nemo responsum dedisset, tunc intra me dixi: Forsan nullus est in hoc loco frater. Ingressus vero sum in hanc speluncam, alta voce, quum procederem, exclamans: Mihi benedic, frater. Quum ingressus essem et circa me omnia oculis perlustravissem, fratrem sedentem ac tacentem adspexi: statim manum meam admovi atque illius brachium comprehendi quod in pulverem in manu mea conversum est. Totum illius corpus palpavi illumque in hujuscemodi statu ex mortis tempore remansisse intellexi. Oculis circa me loca lustravi ac suspensam vidi pænulam quæ apprehensa in manibus meis cinis facta est: tunc surrexi stetique preces ejaculans, stolam quâ indutus eram apprehensam cadaveri circumdedi, terram fodi, corpus abscondi hincque discessi.

« In deserta loca iterum penetravi aliamque speluncam inveni. Quum ante speluncæ ingressum humana vestigia adspexissem ad os meum exsultavit cor ac paululum consedi. Tunc egressus sum ac dixi : Quonam tempore huc adveniet servus Dei? et ante januam remansi usque ad solis meridiem versus adscensum, super pedes meos steti ac diu memoriter preces effudi. Postea, quum sol occasurus esset, circumspexi et e longinquo bubalorum armentum vidi, inter quos incedebat frater. Quum appropinquasset, illum esse nudum animadverti: virilia capillis latebant tanquam vestitu. Quum ad me pervenisset, metu captus me phantasma esse credidit: gressus fixit ac precatus est, nam

sæpe, ut postea confessus est, hocce modo inimici insidias expertus erat. Quum illum perterritum animadvertissem, illi dixi : Ne timeas! Inspice, ego etiam caro sum et sanguis. Ille vero, manibus ad cœlum elevatis, evangelii orationem recitavit atque *amen* dixit. Illum hortatus sum ut me secum in speluncam introduceret; quumque me introduxisset : Quomodo, inquit, in hunc locum venisti? — Et respondi : Christi famulos qui sunt in deserto videre cupiebam Deusque querentem me non in errorem induxit. Tunc ego illum etiam interrogavi : Quomodo et tu huc advenisti, et quam pridem? cur nudus es ac nullis vestibus indutus? Quo cibo vesceris? — Tunc ad me sic loqui incepit : Ego monachus qui monasterium meridiem versus incolebam.»[1]

Anachoreti narrationem omittam breviterque dicam illum ut solus viveret ac suam artem in texendis palmæ ramis exerceret, e suo monasterio egressum, non post multum temporis multis stipatum fuisse discipulis inter quos quædam mulier quæ disciplinæ causa cum illo consuetudinem inivit. Brevi, ut ipse ait, iniquitatem conceperunt ac dolorem pepererunt. Tandem pœnitentia captus in desertum aufugit ubi per triginta annos se doloribus maximis ac morbis afflictum esse memoravit.

Sed hoc anachoreta, Timotheo nomine, relicto, Paphnutius labori non pepercit, sed ad montes regionis quam incolebant barbari progressus est. Primo per quatuor dies ambulavit secum aquam et panes portans : post diem autem quartum, aqua panibusque consumptis, se ad mortem accessisse credidit; sed brevi, animo collectus, per quatuor alios dies processit, fame ac siti laborans donec in *mortem se ingressum* putaret. Tunc angelus ad os illi spongiam quamdam admovit illumque ita refocillavit ut rursum quatuor

1. Cf. *Voyage d'un moine égypt. dans le désert*, loc. laud. p. 4—6 (du tirage à part).

dierum iter per montes confecerit. Tunc vero viribus denuo defectus, iterum refocillatus ab eodem angelo est atque ultimum septem dierum iter confecit. Ita postquam undeviginti dies ambulavit, demum homini cuidam occurrit nomine Benofero qui illum vitæ cursum ac agendi rationem docuit. Hac narratione valde delectatus Paphnutius cum sene Benofero manere cupiebat, sed ipsa nocte vita defunctus est senex ac postero die mane senis tugurium corruit, viatorque monachus ab angelo tertio confortatus iter incœptum prosecutus est.

« Quatuor diebus totidemque noctibus, inquit, ambulavi parvulamque cellam in monte ædificatam adivi, quam ingressus neminem inveni. Paululum sedi mecum cogitans de hac cellula in quam me Deus duxerat. Quum hæc meditarer, me adivit homo sanctus pulchra canitie ornatus palmæque ramis vestitus. Me viso : Tu, inquit, es ille Paphnutius qui corpus Sancti Benoferi curavisti. Tunc præceps ad illius pedes provolutus sum, ac mihi dixit : Surge, fili, Dominus enim te in servitio mihi socium dedit et me te hodie venturum docuit. Jam abhinc septem annos hæc loca incolens neminem hominum vidi præter fratres qui mecum sunt. Quum hæc diceret, tres sunt alii homines ingressi qui mihi dixerunt : Tu es Paphnutius in Domini servitio noster commilito : te nos docuit Dominus hodie venturum. Abhinc septem annos hæc loca incolimus neminemque præter te vidimus. Deinde dixerunt : Tuum cor refocilla panemque manduca, magnum enim iter confecisti. Dominus hodie nos una sessuros, frater, constituit. Dum sic loqueremur, quinque panes calidos ac molles, haud secus ac si modo in furno cocti essent, attulerunt nec non aliquid cibi ex eorum consuetudine. Una sedimus ac comedimus. Ex quo hæc loca incolimus, inquiunt, id est abhinc septem annis, quotidie nobis Deus quatuor panes seposuit ac misit; hodie quum

veneris, tuum etiam misit: nunquam unde essent hi panes scivimus, sed illos sepositos invenimus. Quum finem comedendi fecissemus, noctem integram precantes consumpsimus et quum mane factum esset, illos precibus ut me secum usque ad diem meum supremum retinerent tentavi; sed mihi dixerunt: O frater, tuum non est hoc opus a Deo repositum; surge, Ægyptum adi ac fratribus quæ videris narra, ut nostri suis in precibus meminerint. Illos rogavi ut sua me docerent nomina; illi vero renurunt ac dixerunt: Qui nomen cuique dedit, nostra noscit; nunc, o frater, nostri memento donec nos in domo Domini iterum videamus. Festina, ne locum mundo præbeas ut te in errorem inducat, nam multos seduxit. His dictis, mihi benedixerunt et illos reliqui lætus, mihi enim alia quæ ventura essent prædixerant.

Quum ab illis aliquantum discessissem fontem inveni atque, ut me paulum reficerem, sedi. Juxta hunc fontem consitæ erant arbores, et fructus quos ferebant considerans dixi: Quisnam illas hic consevit? nam palmas videre erat, citreas, punicas malos, ficus, malos, vites, persicas arbores, zyzyphos ac multas alias quarum fructus ad instar mellis suaves. His arboribus et aliis myrteta etiam consita, suaviter fragrantia. Aquam ad illas rigandas fons emittebat inque meam mentem venit hunc locum Dei esse paradisum. Quum vero has arbores considerans sederem quatuor adolescentuli progressi sunt, facie decori, mellotis vestiti ac cincti. Quum ad me appropinquassent, dixerunt: Ave, frater noster Paphnuti. Ego vero mutuam illis salutationem reddidi unaque sedimus de infinita Dei virtute colloquentes, illique gaudio elati erant haud secus ac si vitæ rationem commutavissent, tanta de me erat gaudium atque exsultatio. Dum sederent fructus collegerunt orique meo admoverunt, et, quum hæc facerent, cor meum maxime

lætabatur. Septem diebus cum illis mansi fructusque comedi. Illos interrogavi dicens : Quomodo in hunc locum advenistis et unde estis? — Responderunt : Quum te huc Deus miserit, tibi totum nostræ vitæ curriculum narrabimus. Ab urbe Pemdje (Oxyrrincho) oriundi sumus ac patres nostri urbis senatores. In scholam ut litteras addisceremus nos miserunt simulque in eadem schola quatuor versabamur. Quum vero mundi scientiam edocti evasissemus, rem una perpendimus ac diximus : Nunc quidem mundi sapientiam edocti, divinam edoceri debemus. Quodam igitur die, quum simul de hoc instituto colloqueremur, in interiori homine bona operata est cogitatio, surreximus ac desertum ingressi sumus, nobiscum aliquot panes ac paululum aquæ adsportantes, prout quatuor dierum itineri satis erat. Quum in montem longe incederemus, repente nobis manifestata est visio divina : super nos stetit homo lucidus ac, nostris apprehensis manibus, nos huc adduxit. Jam hic est sextus annus ex quo huc advenimus. Hunc vero locum ingressi, hominem senem cui nos commendavit angelus invenimus. Per totum anni curriculum cum illo mansimus nosque docuit opus Dei quo modo fieret. Anno elapso, in requiem suam ingressus est beatus senex solique in hoc loco remansimus tibique, o dilecte frater, fatemur apud nos abhinc his sex annis ne panis frustulum quidem inventum esse; sed harum arborum fructibus vescimur. Post hebdomadem congregamur ut mutuo adspectu, sabbato et die dominica, fruamur. — Tunc illis dixi : Unde, sabbato ac die dominica, oblationem sumitis? — Responderunt : Ad hanc oblationem faciendam congregamur, nam sabbato dieque dominica ad nos ut cynaxim faciamus descendit Dei angelus.

« Septem dies cum his sanctis consumpsi; atqui, quum sabbatum esset dies septima, mihi dixerunt : Tibi necessaria

compara, dilecte frater, nam hodie ad nos ut cynaxim faciamus veniet angelus Dei et qui illam ab illius manibus accipit ab omni peccato mundus est. — Dum loquerentur eximium odorem sum odoratus quo magis eximium nunquam odoratus eram. Tunc surreximus stetimusque ac hymnum in Jesu Christi regis nostri honorem cecinimus. Deinde adfuit angelus, cynaxim per corpus et sanguinem Jesu Christi nobis præbuit, nobis benedixit ac pacem dedit et in cœlum, magna cum gloria quam pone illum adspectabamus, elevatus est. Die dominica, mane rursus idem eximius odor ad nos pervenit ac cor nostrum, haud secus ac si cœli incolæ fuissemus, gavisum est. Tunc angelus adfuit, nobis cynaxim præbuit ac quum unicuique nostrum benedixisset, omnes *Amen* respondimus. Deinde ad me conversus : Surge, inquit, in Ægyptum progredere, fratribus qui Deum diligunt hæc enarra ut hanc Deo inserviendi rationem æmulentur; Deus enim te elegit interque sanctos connumeravit. Mihi vero, quum multis eum precibus ut cum juvenibus manendi licentiam haberem oravissem, respondit : Omnes agendi æque bonæ sunt rationes ac brevi ad cœlum hominem perducunt, nam unicuique Deus juxta suum placitum dat præcepta. Surge igitur, in Ægytum progredere. — Tunc mihi benedixit atque in cœlum cum gloria ascendit. Multos fructus attulerunt adolescentuli unaque comedimus, et mihi circiter sex aut septem millia passuum sunt comitati, dum decederem. Ab iis quænam sua essent nomina petii atque primo Joannem, secundo Andræam, tertio Raklamo quartoque Theophilum nomen esse didici. Mihi negotium dederunt ut sua fratres nomina docerem et ego rursus ut mei meminerint illos rogavi. Quum vero invicem recessissemus, magno dolore de iis quæ audieram affectus progressus sum; sed una magno gaudio cor meum impletum erat, nam mihi hi sancti benedixerant.

«Tribus itinere consumptis diebus in Ægyptum perveni, quumque ad fratres Dei amantes appropinquassem, cum illis per decem dies quiete fruitus quæcumque videram ac passus eram narravi. Mihi dixerunt : Vere, frater, dignus es qui magnos ac perfectos Dei servos videas : charitate enim erant pleni ac toto corde duraque disciplina Deo serviebant. Quæcumque a sancto Benofero audieram scribere festinarunt ac librum ad Scythiacam regionem missum in ecclesia deposuerunt ut ex illo utilitatem caperet quicumque illum legeret vel legi audiret in honorem Domini nostri Jesu Christi cui honor et gloria in sæculorum sæcula. Amen.»[1]

Hæc est hujus libri quem scripsit Paphnutius descriptio. Quum autem primum hoc *iter* ederem, quinam esset hic Paphnutius penitus ignorabam: nunc vero Macarii senioris socium quarto sæculo post Christum fuisse scio illique laudi versum esse quod multos libros de monachis ad monachorum utilitatem scripserit. Non igitur quod alii alios hujuscemodi libros scripserunt mirum est, et reapse alios duos novi quidem quorum prior mirandum iter narrat monachi cujusdam qui usque ad Æthiopiam pervenit ut anachoretæ suprema redderet officia, et posterior breviter in Cynaxario contractus est. Ægyptiorum igitur monachorum ingenio consentaneum est illos *itinera* ad diversas regiones a monachis habitatas scripsisse. Quæ opera, nunc deperdita, novit ac legit Palladius, nam quod jam pridem descripsi jam antequam Palladii in Scythiacam regionem venisset, scriptum fuerat. Mihi quidem fatendum est ex hoc, quod modo dixi, *itinere* nullam narrationem Palladium sumpsisse; hujus vero rei ratio inventu non difficilis est; Palladio enim non opus erant libri in quibus itinera quæ nunquam confecerat

1. *Voyage d'un moine égypt.*, loc. cit., p. 19—25.

narrabantur. Optime vero concipi potest librum fuisse qui monachorum intra Lycopolim ac Scythiacam regionem commorantium præclara facinora describebat. Eodem quidem modo ante se omnem veri rationem præbet iter de Scythiaca regione ad Palæstinam, quum sæpissime et, ut ita dicam, quotidie, nunc ut olim, ægyptii monachi fratres palæstinianos invisitabant et invisitant. Cujus itineris narrationem conscriptam fuisse testatur epilogus qui ad calcem *Historiæ monachorum* et *Historiæ lausiacæ* positus est. Hunc ergo librum fere ad verbum uterque pseudo-Rufinus ac Palladius transcripserunt. Nec miranda est hujuscemodi transcriptio, nam certe ad verbum transcripsit Palladius quæ de Pachomio ejusque regula scripsit. Quod si hæc non omnibus arridet sententia, saltem utrumque auctorem iisdem libris copticis usos esse dicendum est; sed undenam oriatur illorum similitudo, quum quædam dissimilia enarrent, ita non explanatur.

CONCLUDITUR.

Quæ quum ita sint, *Historia lausiaca* nullo modo fons primarius, ex quo monachorum ægyptiorum historia narrari possit, haberi posse mihi videtur. Quasdam enim res quasi a se visas narrat Palladius, pleraque vero audivit atque legit. Sed earum rerum quas in priore operis sui parte narrat, plures quam in altera parte suis oculis perspexit. In posteriore potissimum de monachis superioris Ægypti fere omnia audivit ac legit, totamque itineris narrationem ex opere coptico deprompsit. Quo opere cum *Historia monachorum* collato colligere mihi licuit Rufinum hujus operis non fuisse auctorem *Historiamque monachorum* ipsam ex eodem opere coptico depromptam esse. Hanc historiam Palladio ad opus scribendum solam inservire non potuisse

patet, quum a Palladio quædam sint narrata quæ non apud *Historiam monachorum* inveniuntur. Certe jamdudum Rufino hæc historia abnegata fuerat, ac nuperrime D[r] Lucius opus quoddam prius scriptum ad *Historiam lausiacam* et ad *Historiam monachorum* scribendam inservisse censuit; sed illud opus græce scriptum putavit. Ex his autem quæ disserui non unum tantum opus Palladio inservisse certum est, sed opera multa et quidem coptica quorum unum fuit ille notissimus *Paradisus monachorum* in Nitriæ monasteriis exaratus, et aliud sub itineris specie conscriptum. Tandem ex pluribus locis quæ notavi opus Palladii ad nos integrum non pervenisse demonstravi, et, si fides hujus historiæ copticis fragmentis de Pamo et Evagrio adhibenda, multa in græco textu periisse. Quæ quum ita sint facillime doctissimus quisque qui monachorum ægyptiorum historiam narrandam suscipiet, quænam sit *Historiæ lausiacæ* ad hanc historiam scribendam utilitas judicabit. In his quæ ad Palladium vel ad Palladii amicos contubernalesque spectant multum valet hæc historia; in his vero quæ ex libris copticis hausit auctor, illius narratio prudenter pensanda est, quum res humanas cœlesti quodam vestitu ornaverint scriptores coptici multique inter illorum libros ex ingenio tantummodo ad mirabilia fabulasque propenso, pauci vero ex rerum sana cognitione sint confecti.

Historiæ lausiacæ coptica fragmenta quæ supersunt.[1]

I.

ϯⲉⲡⲓⲥⲧⲟⲗⲏ ⲉⲧⲁⲩⲥϧⲏⲧⲥ ⲛ̅ⲗⲁⲩⲥⲓⲟⲥ ⲡⲓⲡⲣⲉⲡⲟⲥⲓⲧⲟⲥ ⲡⲓⲃⲱⲕ ⲛⲧⲉ ⲡ̅ⲭ̅ⲥ̅ ϧⲉⲛ ⲟⲩϩⲓⲣⲏⲛⲏ ⲛⲧⲉ ⲫ̅ϯ̅ ⲁⲙⲏⲛ. (ⲁ̅) ⲱ ⲟⲩⲛⲓⲁⲧⲉ ⲛⲧⲉⲕⲡⲣⲟϩⲉⲣⲉⲥⲓⲥ ⲥⲉⲙⲡϣⲁ ⲅⲁⲣ ⲛⲧⲁⲉⲣ ϩⲏⲧⲥ ⲉϯⲉⲡⲓⲥⲧⲟⲗⲏ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲉⲛ ϯⲙⲉⲧⲛⲁⲓⲁⲧⲥ ϫⲉ ⲟⲩⲛⲓ ⲅⲁⲣ ⲉⲣⲉ ⲟⲩⲟⲛ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲉⲣⲉ ⲣⲱⲟⲩ ⲟⲩⲏⲛ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲙⲉⲧⲉⲫⲗⲏⲟⲩ ⲟⲩⲟϩ ⲛⲁⲓⲥⲉⲕⲱⲧ ⲛϩⲁⲛ ⲏⲓ ⲛⲱⲟⲩ ⲛⲏ ⲉⲧⲉⲙⲡⲟⲩϯ ϩⲛⲟⲩ ⲛⲱⲟⲩ ⲛⲑⲟⲕ ⲇⲉ ϯⲛⲟⲩ ⲉⲕⲕⲱϯ ϫⲉ ⲛⲧⲟⲩϯ ⲥⲃⲱ ⲛⲁⲕ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲥⲁϫⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛⲧⲉ ⲡⲉⲕⲓⲱⲧ ⲛⲧⲁ ⲫⲙⲏⲓ ϫⲉ ⲟⲩⲛⲓ ⲙⲙⲟⲛ ϩⲗⲓ ⲉϥⲟⲓ ⲛⲁⲧϭⲓ ⲥⲃⲱ ⲉⲃⲏⲗ ̓ⲉⲡⲓⲟⲩⲁⲓ ⲙⲙⲁⲩⲁⲧϥ ⲫ̅ϯ̅

I.

Epistola quæ scripta est Lausio præposito Christi servo. In pace Dei : amen. O quam felix tuum propositum! Dignum enim est ut epistolam incipiam (te) felicem prædicando[2] : omnium enim ora ad vana aperta sunt, sibi ædificant domos quibus non fruuntur; tu vero nunc ut sanctos tui patris vere justi sermones edocearis exoptas. Nemo enim est qui non edoctus sit, nisi ille solus rerum omnium

1. *Vat. cod. copt.*, n° LXIV. In fronte paginæ legitur : ⲡⲓⲥⲁⲃⲃⲁⲧⲟⲛ ⲙⲙⲁϩ ⲉ̅ ⲛⲧⲉ ⲡⲓϩⲙ̅; id est : Quintum sabbatum Quadragesimæ. — 2. Ad verbum : incipiam a beatificatione.

ⲛⲧⲉ ⲡⲓⲉⲡⲧⲏⲣϥ ⲉⲧⲉ ϯⲧⲣⲓⲁⲥ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛⲟⲙⲟⲟⲩⲥⲓⲟⲥ ⲧⲉ ⲉⲡⲓⲇⲏ ⲥϣⲟⲡ ⲙⲙⲁⲩⲁⲧⲥ ⲙⲙⲟⲛ ϩⲗⲓ ϧⲁϫⲱⲥ ⲛⲧⲁⲓⲙⲉⲑⲛⲟⲩϯ ⲛⲟⲩⲱⲧ ⲧⲁⲓⲙⲉⲧⲟⲩⲣⲱ ⲛⲟⲩⲱⲧ ⲛⲓⲕⲉⲭⲱⲟⲩⲛⲓ ⲧⲏⲣⲟⲩ ⲓⲧⲉ ⲛⲁ ⲧⲫⲉ ⲓⲧⲉ ⲛⲁ ⲡⲕⲁϩⲓ ϣⲁⲩⲉⲣ ⲭⲣⲓⲁ ⲛϯⲥⲃⲱ ⲛⲱⲟⲩ ⲉ- (ⲃ̅) ⲡⲓⲇⲏ ϩⲁⲛ ⲥⲱⲛⲧ ⲛⲉ ⲛⲉⲙ ϩⲁⲛ ⲑⲁⲙⲓⲟ ⲛⲧⲉ ⲫ̅ϯ̅ ϯⲧⲁⲝⲓⲥ ⲛϩⲟⲩⲓϯ ⲉⲧⲉ ⲛⲓⲁⲅⲅⲉⲗⲟⲥ ⲛⲉϣⲁⲩϭⲓ ⲥⲃⲱ ⲛⲱⲟⲩ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲟⲧⲥ ⲛϯⲧⲣⲓⲁⲥ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲟⲩⲟϩ ⲛⲟⲙⲟⲟⲩⲥⲓⲁ ⲟⲩⲟϩ ⲛⲁ ϯⲧⲁⲝⲓⲥ ⲙⲙⲁϩ ⲥⲛⲟⲩϯ ϣⲁⲩϭⲓ ⲥⲃⲱ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲟⲧⲟⲩ ⲛⲛⲓϩⲟⲩⲁϯ ⲟⲩⲟϩ ⲛⲁ ϯⲧⲁⲝⲓⲥ ⲙⲙⲁϩ ⲅ̅ ϣⲁⲩϭⲓ ⲥⲃⲱ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲟⲧⲥ ⲛϯⲙⲁϩ ⲃ̅ϯ ⲟⲩⲟϩ ⲡⲁⲓⲣⲏϯ ⲟⲩⲟⲛ ⲥⲁ ⲟⲩⲟⲛ ⲕⲁⲧⲁ ⲧⲁⲝⲓⲥ ϣⲁⲧⲉⲕⲓ ⲉⲛⲓϧⲁⲉⲩ. ⲛⲏ ⲅⲁⲣ ⲉⲧⲟⲓ ⲛⲛⲓϣϯ ϧⲉⲛ ⲡⲟⲩⲉⲙⲓ ⲛⲉⲙ ⲧⲟⲩⲁⲣⲉⲧⲏ ⲛⲑⲱⲟⲩ ⲛⲉ ⲉϣⲁⲩϯ ⲥⲃⲱ ⲛⲛⲏ ⲉⲧⲟⲓ ⲛⲕⲟⲩϫⲓ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲁⲣⲉⲧⲏ ⲛⲉⲙ ⲡⲓⲉⲙⲓ ⲙⲙⲏⲓ ⲟⲩⲟⲛ ⲅⲁⲣ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲉⲧϫⲱ ⲙⲙⲟⲥ ϫⲉ ⲧⲉⲛⲉⲣ ⲭⲣⲓⲁ ⲁⲛ ⲛⲣⲉϥϯ ⲥⲃⲱ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲣⲉ ⲡⲟⲩϩⲏⲧ ⲑⲏⲧ ⲁⲛ ⲛⲉⲙ ⲛⲏ ⲉⲧϯ ⲥⲃⲱ ⲛⲱⲟⲩ ⲛⲁⲓ ⲉⲧⲉⲙⲙⲁⲩ ⲉⲩϣⲱⲛⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲓϣⲱⲛⲓ ⲛϯⲙⲉⲧⲁⲧⲉⲙⲓ ⲉⲧⲉ ⲑⲙⲁⲩ ⲧⲉ ⲛϯⲙⲉⲧϭⲁⲥⲓ ϩⲏⲧ ⲑⲏ ⲉⲧⲁⲩⲙⲉⲛⲣⲓⲧⲥ ⲛϫⲉ ⲛⲏ ⲉⲧⲁⲩⲥⲉⲃⲧⲱⲧⲟⲩ ⲉⲡⲧⲁⲕⲟ ⲓⲥϫⲉⲛ ϣⲟⲣⲡ ⲉⲧⲉ ⲛⲓⲇⲉⲙⲱⲛ ⲛⲉ ⲛⲏ ⲉⲧⲁⲩⲃⲉⲣⲃⲱⲣⲟⲩ ⲉⲡⲉⲥⲏⲧ ⲉⲃⲟⲗϧⲉⲛ ⲧⲫⲉ ⲛⲁⲓ ⲉⲧⲁⲩⲥⲱⲕ (ⲅ̅) ⲛⲱⲟⲩ ⲛⲟⲩⲙⲉⲧϭⲁⲥⲓ ϩⲏⲧ ⲙⲡⲟⲩⲟⲩⲱϣ ⲉϭⲛⲉ ϫⲱⲟⲩ ⲛⲛⲓϫⲟⲙ

Deus, id est Trinitas sancta (et) consubstantialis; nam sola est nihilque præstantius hac unica *deitate,* hoc unico regno.[1] Omnia alia, sive cœlestia, sive terrestria edoceri necesse habent, siquidem creata creaturæque Dei sunt. Primus ordo, id est Angeli, a sancta et consubstantiali Trinitate docentur; qui secundi sunt ordinis ab illis qui primi docentur; qui tertii ordinis a secundo institutionem accipiunt; eodemque modo omnes juxta suum ordinem donec ad extremos perveneris. Qui enim scientia et virtute sua præstant illos docent qui virtutibus et vera scientia inferiores sunt. Omnes autem qui dicunt : Non necesse doceri habemus, vel qui corde docentibus non acquiescunt, morbo ignorantiæ laborant quæ superbiæ mater est, quam (superbiam) dilexerunt qui ab initio ad perditionem parati sunt, qui e

1. Scilicet divino.

ⲛⲥⲁ ⲡϣⲱⲓ ⲁⲗⲗⲁ ⲁⲩⲫⲱⲧ ⲛⲧⲟⲧⲟⲩ ⲛⲛⲓⲣⲉϥϯ ⲥⲃⲱ ⲉⲧϧⲉⲛ ⲛⲓⲫⲏⲟⲩⲓ. ⲙⲁ ϩⲑⲏⲕ ⲟⲛ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲕⲁϯ ⲉϥⲣⲏⲥ ⲛⲏ ⲉϯⲥϧⲁⲓ ⲙⲙⲱⲟⲩ ⲛⲁⲓ ϫⲉ ⲟⲩⲏⲓ ⲛⲓⲗⲉⲝⲓⲥ ⲁⲛ ⲡⲉ ⲛⲓⲥⲃⲱⲟⲩⲓ ⲟⲩⲇⲉ ⲛⲓⲥⲩⲗⲁⲃⲏ *(sic)* ⲛⲁⲓ ⲅⲁⲣ ⲕϫⲓⲙⲓ ⲙⲙⲱⲟⲩ ⲛⲧⲟⲧⲟⲩ ⲛⲛⲓⲕⲉⲥⲁ ⲙⲡⲉⲧϩⲱⲟⲩ ⲛⲣⲱⲙⲓ ⲁⲗⲗⲁ ⲑⲁⲓ ⲧⲉ ϯⲥⲃⲱ ⲛⲧⲁ ⲫⲙⲏⲓ ⲡⲓϫⲓⲛⲕⲁϯ ⲛⲉⲙ ⲡⲓⲧⲁϩⲟ ⲉⲣⲁⲧϥ ⲛⲧⲉ ⲛⲓⲙⲉⲩⲓ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ ⲛⲉⲙ ϯⲙⲉⲧⲁⲧⲙⲕⲁϩ ⲛϩⲏⲧ ⲛⲉⲙ ϯⲙⲉⲧⲁⲧϫⲱⲛⲧ ⲛⲉⲙ ϯⲙⲉⲧⲁⲧϣⲑⲟⲣⲧⲉⲣ ⲛⲉⲙ ϯⲙⲉⲧⲁⲑⲙⲉⲩⲓ ⲉⲛⲓⲡⲉⲧϩⲱⲟⲩ ⲛⲉⲙ ϯⲡⲁⲣⲣⲏⲥⲓⲁ ⲙⲡⲉⲙⲑⲟ ⲙⲫϯ ⲛⲣⲏϯ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲑⲏ ⲉⲧⲙⲓⲥⲓ ⲙⲡⲓⲥⲁϫⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲓϩⲏⲧ ⲑⲏ ⲉⲧⲟⲓ ⲙⲫⲣⲏϯ ⲛⲟⲩϣⲁϩ ⲛⲭⲣⲱⲙ. ⲡⲥⲁϫⲓ ⲅⲁⲣ ⲛⲧⲉ ⲫ̅ϯ̅ ⲟⲩⲭⲣⲱⲙ ⲉϥⲟⲩⲱⲙ ⲡⲉ ⲕⲁⲧⲁ ⲡⲥⲁϫⲓ ⲙⲡⲁⲩⲗⲟⲥ ⲉⲛⲉ ⲫⲁⲓ ⲅⲁⲣ ⲁⲛ ⲡⲉ ⲡⲓⲥⲁϫⲓ ⲛⲁϥⲛⲁϫⲟⲥ ⲁⲛ ⲡⲉ ⲛϫⲉ ⲡⲓⲣⲉϥϯ ⲥⲃⲱ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉϥ ⲛⲛⲏ ⲉⲧⲉⲛⲟⲩϥ ⲙⲙⲁⲑⲏⲧⲏⲥ ϫⲉ ⲁⲣⲓⲉⲙⲓ ⲉⲃⲟⲗ ⲙⲙⲟⲓ ϫⲉ ⲁⲛⲟⲕ ⲟⲩⲣⲉⲙ ⲣⲁⲩϣ ⲟⲩⲟϩ (ⲇ̅) ϯⲑⲉⲃⲓⲏⲟⲩⲧ ϧⲉⲛ ⲡⲁϩⲏⲧ ⲛⲁϥⲥⲟⲗⲥⲉⲗ ⲛⲛⲓⲥⲁϫⲓ ⲁⲛ *(sic)* ϧⲉⲛ ⲟⲩⲙⲉⲧⲫⲓⲗⲟⲥⲟⲫⲟⲥ ϧⲁⲧⲟⲧⲟⲩ ⲛⲛⲉϥⲁⲅⲓⲟⲥ ⲛⲁⲡⲟⲥⲧⲟⲗⲟⲥ ⲁⲗⲗⲁ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲙⲉⲧϣⲁⲙϣⲉ ⲛⲟⲩϯ ⲛⲉⲙ ⲟⲩϫⲓⲛⲕⲁϯ ⲉⲥϣⲟⲙ ⲛⲉⲙ ⲉⲛⲧⲟⲗⲏ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲛⲧⲉ ϯⲙⲉⲑⲙⲏⲓ ⲉϥⲟⲩⲱϣ ⲁⲛ ⲉϯ ⲙⲕⲁϩ ⲛϩⲏⲧ ⲛϩⲗⲓ ⲉⲃⲏⲗ ⲉⲛⲏ ⲉⲑⲙⲟⲥϯ ⲙⲡⲓⲥⲁϫⲓ ⲙⲙⲁⲩⲁⲧⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲛⲏ ⲉⲑⲙⲟⲥϯ ⲛⲛⲓⲣⲉϥϯ ⲥⲃⲱ. ϯⲯⲩⲭⲏ ⲅⲁⲣ ⲉⲧⲉⲣⲁⲥ-

cœlo præcipites sunt dati, nam sui cordis superbia deducti sua virtutibus superioribus capita non subegerunt, sed a cœlestibus magistris aufugerunt. Mente vigilans illis quæ scribo attendas; non enim sunt scièntiæ verba neque syllabæ, nam illa etiam apud homines improbos invenis. Hæc est autem vera scientia, bonas cogitationes ac humilitatem intelligere conservareque, haud irasci, haud turbari, non quæ mala sunt cogitare et omnimodo in conspectu Dei libertate (frui) quæ verbum in corde gignit, quæ ad ignis coruscantis instar est, nam ignis devorans est Verbum Dei, ut ait Paulus. Si enim Verbum non fuisset, non hæc suis dixisset discipulis Magister bonus: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Non verba philosophico more ornavit ad suos sanctos apostolos, sed servitio Dei, intelligentia acuta atque omni veritatis præcepto, neminem volens contristari,

ⲛⲓⲛ ⲉⲡⲭⲥ ϩⲱϯ ⲉⲣⲟⲥ ⲡⲉ ⲛⲧⲉⲥϭⲓ ⲥⲃⲱ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲕⲁϯ ⲉⲛⲏ ⲉⲧⲉⲥⲉⲙⲓ ⲉⲣⲱⲟⲩ ⲁⲛ ⲥⲉⲛⲧⲉⲥϭⲓ ⲥⲃⲱ *(sic)* ⲛⲑⲟϥ ⲉⲛⲏ ⲉⲧⲁⲥⲟⲩⲱ ⲉⲙⲓ ⲉⲣⲱⲟⲩ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲧⲁϫⲣⲟ ⲉϣⲱⲡ ⲥⲟⲩⲱϣ ⲁⲛ ⲉⲉⲣ ⲟⲩⲁⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲁⲓⲃ ⲁⲣⲓⲉⲙⲓ ϫⲉ ⲉⲥϣⲱⲛⲓ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲗⲓⲃⲓ ⲧⲁⲣⲭⲏ ⲅⲁⲣ ⲛϯⲁⲡⲟⲥⲧⲁⲥⲓⲁ ⲉⲃⲟⲗϩⲁ ⲫϯ ⲑⲁⲓ ⲧⲉ ⲟⲩⲣⲱⲙⲓ ⲁϥϣⲁⲛ ⲙⲁϩ ϧⲏⲧϥ ⲙⲡⲥⲁϫⲓ ⲛⲫϯ ⲛⲧⲉϥϣⲧⲉⲙ ⲉⲣⲉⲡⲓⲑⲩⲙⲓⲛ ⲉⲣⲟϥ ⲟⲩⲇⲉ ⲛⲧⲉϥϣⲧⲉⲙⲉⲣ ϩⲱⲃ ⲉⲣⲟϥ ϯⲯⲩⲭⲏ ⲅⲁⲣ ⲛⲧⲉ ⲡⲓⲙⲁⲓ ⲛⲟⲩϯ ϩⲟⲕⲉⲣ ⲙⲡⲓⲥⲁϫⲓ ⲛⲧⲉ ⲫϯ ⲛⲥⲛⲟⲩ ⲛⲓⲃⲉⲛ ϣⲁⲧⲉϥⲛⲓϥⲓ ⲛϧⲁⲉ ϫⲉⲙ ⲛⲟⲙϯ ⲟⲩⲟϩ ϭⲣⲟ ⲙⲙⲟⲕ ⲟⲩⲟϩ ⲡⲟⲥ ⲓⲏⲥ ⲡⲭⲥ (ⲉ) ⲛⲁϯ ⲛⲟⲩϩⲙⲟⲧ ⲛⲁⲕ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲉⲙⲓ ⲉⲑⲛⲁⲛⲉϥ. ⲟⲩϫⲁⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲟⲥ ⲁⲙⲏⲛ.

ⲡⲓϫⲓⲛⲱⲛϧ ⲛⲧⲉ ϩⲁⲛ ⲣⲱⲙⲓ ⲉⲩⲟⲩⲁⲃ ⲫⲏ ⲉⲧⲟⲩⲥⲁϫⲓ ⲙⲙⲟϥ ⲛⲗⲁⲩⲥⲓⲟⲥ ⲡⲓⲡⲣⲉⲡⲟⲥⲓⲧⲟⲥ ⲡⲓⲃⲱⲕ ⲛⲧⲉ ⲓⲏⲥ ⲡⲭⲥ. ⲁ ⲟⲩⲙⲏϣ ϩⲓ ⲧⲟⲧⲟⲩ ⲉⲥϧⲉ ϩⲁⲛ ⲙⲏϣ ⲛⲃⲱⲗ ⲕⲁⲧⲁ ⲥⲛⲟⲩ ⲟⲩⲟϩ ⲁⲩⲭⲁⲩ ϧⲉⲛ ⲡⲓⲕⲟⲥⲙⲟⲥ ⲉⲡϫⲓⲛⲧⲟⲩϣⲟⲩϣⲟⲩ ⲉϫⲱⲟⲩ ⲁⲛ ⲁⲗⲗⲁ ϫⲉ ϩⲓⲛⲁ ⲛⲧⲉ ⲡⲓⲕⲟⲥⲙⲟⲥ ⲛⲁⲩ ⲙⲃⲟⲗ ⲛϧⲏⲧⲟⲩ. ϩⲁⲛ ⲟⲩⲟⲛ ⲙⲉⲛ ⲁⲩⲉⲣⲕⲁⲑⲏⲕⲓⲛ ⲙⲙⲱⲟⲩ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲉⲛ ⲡⲓⲛⲓϥⲓ ⲛⲧⲉ ⲡⲓϩⲙⲟⲧ ⲉⲧⲥⲁ ⲡϣⲱⲓ ⲫⲏ ⲉⲧⲁ ⲫϯ ⲛⲓϥⲓ ⲙⲙⲱⲟⲩ ⲛϧⲏⲧⲟⲩ ⲉⲑⲃⲉ ⲟⲩⲕⲱⲧ ⲛⲉⲙ ⲟⲩⲧⲁϫⲣⲟ

præter eos qui Verbum odio habuerunt oderuntque magistros. Animam enim quæ Christo *ascesim* exercet quæ nescit cum intelligentia edoceri oportet ac docere quæ modo firmiter didicerit. Si vero alterutrum facere nolit, illam insania laborare scito. A Deo enim apostaseos hoc est principium, si homo cor (suum) verbo Dei, nec illud cupiens, nec illud operans, impleverit; mens autem illius qui Deum diligit omni tempore usque ad extremum spiritum Verbum esurit. Confortare igitur ac viriliter age, et Dominus Jesus Christus gratiam in scientia bona tibi concedet. Vale in Domino : amen.

Sanctorum hominum vita quæ Lausio præposito, Jesu Christi servo, scripta est. Multi per tempora multas explicationes scribere sategerunt, non ut de illis gloriam acciperent, sed ut ex illis mundus externa videret; alii quidem superna inspiratione quam Deus illis inspiravit, illa ad ædificationem

ⲛⲧⲉ ϯⲙⲉⲧⲣⲱⲙⲓ ⲛⲏ ⲉⲑⲙⲟϣⲓ ⲛⲥⲁ ⲛⲓⲉⲛⲧⲟⲗⲏ ⲛⲉⲙ ⲛⲓⲟⲩⲁϩⲥⲁϩⲛⲓ ⲛⲧⲉ ⲡⲉⲛⲥⲱⲧⲏⲣ ⲓⲏ̅ⲥ̅ ⲡⲭ̅ⲥ̅ ⲡϣⲏⲣⲓ ⲙ̅ⲫ̅ϯ̅ ⲫⲓⲱⲧ ϧⲉⲛ ⲟⲩⲛⲁϩϯ ⲛⲁⲧⲙⲉⲧϣⲟⲃⲓ ϩⲁⲛ ⲕⲉⲟⲩⲟⲛ ⲇⲉ ⲟⲛ ⲁⲩⲉⲣ ⲙⲁⲓ ϩⲩⲗⲏ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲉⲛ ϯⲙⲉⲧⲣⲁⲛⲁϥ ⲛⲣⲱⲙⲓ ⲉⲧⲧⲁⲕⲏⲟⲩⲧ ⲁⲩⲕⲱ ⲛϩⲁⲛ ⲥⲁϫⲓ ⲙⲃⲱⲗ ⲉϧⲣⲏⲓ ⲉⲩϯ ⲛⲟⲙϯ ⲛⲏⲏ ⲉⲑⲗⲟⲃⲓ ⲛⲥⲁ ϯϩⲩⲇⲟⲛⲏ ⲛⲉⲙ ⲡⲓϫⲱⲛⲧ ⲉⲩⲟⲓ ⲙⲙⲁⲓ ⲁⲣⲭⲱⲛ (ⲉ̅) ⲉⲩⲟⲓ ⲙⲙⲁⲓ ⲣⲁⲙⲁⲟ ⲟⲩⲟϩ ⲙⲙⲁⲓ ϩⲏⲕⲓ ⲁⲛ ϣⲁⲧⲟⲩⲧⲁⲕⲟ ⲛⲏⲏ ⲉⲧϣⲟⲩϣⲟⲩ ⲙⲙⲱⲟⲩ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲙⲉⲩⲓ ⲉⲣⲉ ⲡⲟⲩⲕⲁϯ ⲟⲓ ⲙⲃⲉⲗⲗⲉ ϧⲉⲛ ⲛⲓⲭⲣⲏⲙⲁ ⲉⲧⲉ ⲛⲓⲥⲭⲓⲥⲙⲁⲧⲓⲕⲟⲥ ⲛϩⲉⲣⲉⲧⲓⲕⲟⲥ ⲧⲏⲣⲟⲩ ⲛⲉ ⲛⲁⲓ ⲉⲧϯ ⲛⲟⲩⲑⲱⲗⲉⲃ ⲛⲥⲁ ϯⲛⲁⲓⲁⲧⲥ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛⲕⲁⲑⲟⲗⲓⲕⲏ ⲛⲛⲉⲕⲕⲗⲏⲥⲓⲁ ⲑⲏ ⲉⲧⲟⲓ ⲛⲁⲧⲁϭⲛⲓ ϧⲉⲛ ⲡⲉⲥϫⲓⲛⲱⲛϧ ⲧⲏⲣϥ ⲉⲩⲥⲓϯ ⲛϩⲁⲛ ⲥⲁϫⲓ ⲉⲩϩⲱⲟⲩ ⲙⲙⲉⲧⲫⲓⲗⲟⲥⲟⲫⲟⲥ ⲉⲡϩⲏⲧ ⲛⲛⲓⲣⲱⲙⲓ ⲛⲁⲧⲕⲁϯ ϫⲉ ϩⲓⲛⲁ ⲛⲧⲟⲩⲧⲁⲕⲟ ⲙⲡⲟⲩϫⲓⲛⲱⲛϧ ⲉⲃⲟⲗϩⲁ ϯⲙⲉⲧⲥⲉⲙⲛⲟⲥ.

ⲁⲥⲣⲁⲛⲏⲓ ϩⲱ ⲁⲛⲟⲕ ϧⲁ ⲡⲓϫⲱⲃ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲧⲑⲉⲃⲓⲏⲟⲩⲧ ⲉⲧⲁⲓϣⲫⲓⲧ ϧⲁⲧϩⲏ ⲙⲡⲓⲟⲩⲁϩⲥⲁϩⲛⲓ ⲛⲧⲉ ⲧⲉⲕⲙⲉⲧⲙⲁⲓ ⲛⲟⲩϯ ⲟⲩⲟϩ ⲛϣⲁⲙϣⲉ ⲛⲟⲩϯ ⲛⲉⲙ ϯⲡⲣⲟⲕⲟⲡⲏ ⲛⲧⲉ ⲡⲉⲕⲙⲉⲩⲓ ⲉⲧⲁⲙⲟⲕ ϫⲉ ⲓⲥϫⲉⲛ ⲧⲁⲙⲉⲧⲕⲟⲩϫⲓ ϣⲁ ϯⲛⲟⲩ ⲁⲓⲉⲣ ⲗ̅ⲅ̅ ⲛⲣⲟⲙⲡⲓ ϧⲉⲛ ϯⲡⲟⲗⲏⲧⲓⲁ ⲛⲧⲉ

docuerunt ac consolidationem humanitatis quæ Salvatoris nostri Jesu Christi, filii Dei patris jussa ac mandata exsequitur, fide immutabiles; alii vero ex proposito hominibus placendi corrupto materiam dilexerunt, verbo explicationem reliquerunt, illis solatia præbentes qui voluptatem atque iram concupiscunt, imperia diligentes, divitias cupientes, qui sunt schismatici ac hæretici omnes qui felicem et catholicam ecclesiam labis per suam totam vitam immunem inquinaverunt, verba philosophiæ mala hominum cordibus absque intelligentia injicientes, ut illorum vitam longe a puritate perderent.

Placuit etiam mihi pauperi atque humili, qui tuæ pietatis mandatum, tui in Deum servitii ac cogitationum tuarum progressionem revereor, hæc te docere, scilicet me a mea pueritia usque ad hoc tempus triginta tres annos in vitæ fratrum regimine confecisse; factus (enim sum) cum illis

ⲛⲓⲥⲛⲏⲟⲩ ⲉⲓⲟⲓ ⲙⲙⲟⲛⲁⲭⲟⲥ ⲛⲱⲟⲩ ϧⲉⲛ ϯⲁⲥⲕⲩⲥⲓⲥ ⲟⲩⲟϩ ⲓⲥ ⲕⲉⲛ̅
ⲛⲣⲟⲙⲡⲓ ⲁⲓⲁⲓⲧⲟⲩ ϧⲉⲛ ϯⲙⲉⲧⲉⲡⲓⲥⲕⲟⲡⲟⲥ ⲟⲩⲟϩ (ⲋ̅) ϯⲛⲟⲩ ⲓⲥϫⲉ
ⲕⲉ ⲉ̅ ⲛⲣⲟⲙⲡⲓ ϯⲟⲛϧ ⲛϧⲏⲧⲟⲩ ⲉⲓⲉⲣⲉⲡⲓⲑⲩⲙⲓⲛ ⲉⲧⲁⲙⲟⲕ ⲉⲛⲓϩⲃⲏⲟⲩⲓ
ⲉⲧⲧⲟⲩⲃⲏⲟⲩⲧ ⲟⲩⲟϩ ⲉⲑⲙⲉϩ ⲛⲱⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲁⲣⲉⲧⲏ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲛⲧⲉ ⲛⲓ-
ϧⲉⲗⲗⲟⲓ ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ ⲛⲏ ⲉⲧⲁⲓⲛⲁⲩ ⲉⲣⲱⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲛⲏ ⲉⲧⲁⲓⲥⲟⲑⲙⲟⲩ
ϧⲉⲛ ⲛⲁⲙⲁϣϫ ⲉⲃⲟⲗϩⲓⲧⲉⲛ ϩⲁⲛ ⲓⲟϯ ⲉⲩⲛϩⲟⲧ ϧⲉⲛ ⲛⲓϣⲁϥⲉⲩ
ⲛⲧⲉ ⲭⲏⲙⲓ ⲛⲉⲙ ⲛⲓⲫⲁⲓⲁⲧ ⲛⲉⲙ ⲛⲏ ⲉⲧⲁⲩϣⲱⲡⲓ ϧⲉⲛ ⲙⲁⲣⲏⲥ ⲛⲉⲙ
ⲥⲟⲩⲁⲛ ⲛⲉⲙ ⲛⲓⲙⲁ ⲉⲣⲉ ⲛⲓⲣⲉⲙ ⲧⲁⲃⲉⲛⲛⲏⲥⲓ ϣⲟⲡ ⲙⲙⲁⲩ ⲛⲉⲙ
ϯⲙⲉⲥⲟⲡⲟⲧⲟⲙⲓⲁ ⲛⲉⲙ ϯⲥⲩⲣⲓⲁ ⲛⲉⲙ ϯⲡⲁⲗⲉⲥⲧⲓⲛⲏ ⲛⲉⲙ ⲛⲓⲙⲁ
